7 — 13

Schneider. 1. 6. 80.

DE
M. MANILII QUAE FERUNTUR
ASTRONOMICON AETATE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GEORGIA AUGUSTA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
PROPOSUIT

BERTHOLDUS FREIER
NEOMARCHICUS.

GOTTINGAE.
A. MDCCCLXXX.

THESES

QUAS

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VIII M. MAII HORA XII

PUBLICE DEFENDET

BERTHOLDUS FREIER

NEOMARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:

GUILELMUS GUENTHER, CAND. PROB.

JOANNES GERICKE, CAND PHIL..

GOTTINGAE.

A. MDCCCLXXX.

I. Manil. Astron. V, 740—744, ubi pro auctoritate codd. vett. leguntur:

„Sunt stellae procerum similes, sunt proxima primis
Sidera, suntque gradus per omnia victa priorum;
Maximus est populus summo qui culmine fertur.
Cui . . . si pro numero vires natura dedisset,
Ipse suas aether flammas sufferre nequiret"

poetam statuendum est scripsisse:

„Sunt stellae procerum similes, sunt proxima primis
Sidera, suntque gradu procul astra remota priorum;
Maximus est populus, minimo qui lumine fertur.
Cui si pro numero vires natura dedisset,
Ipse suas aether flammas sufferre nequiret."

II. In Platonis Menexeno (p. 242a) verba, quae in libris m. sunt καὶ οὗτος μὲν δὴ πάσῃ τῇ πόλει διηντλήθη, Madvigius (advers. crit. I) solus recte sic emendavit, ut scriberet: καὶ οὗτος μὲν δὴ πᾶς τῇ πόλει διηντλήθη.

III. Theocr. Id. XXI, 9 improbandum videtur, quod M. Schmidtius (Mus. Rhen. XXVI, p. 181) scribi vult:

„κεῖτο, τά τ' ἧς χέρνησι μελήματα, τοὶ καλαθίσκοι",

ac retinenda lectio vulgaris

„κεῖτο τὰ ταῖν χειροῖν ἀθλήματα, τοὶ καλαθίσκοι".

Berolini typis expressit Th. Haberlandt.

Argumentum.

Ante quam vere criticam, quae valde quidem desideratur, literarum Graecarum et Romanarum historiam instituas, videtur hoc inprimis efficiendum, ut quem quisque veterum scriptorum in ordine temporum locum obtinuit, is quam accuratissime definiatur. Quod ut fiat, necesse sane est viri docti singula referant illorum opera ad certos annorum numeros. Videmus autem eam rem quoniam natura difficillima est ac mirabilem in modum saepe contorta, ne nunc quidem omnibus partibus adeo absolutam, ut de nullorum iam librorum aetate ambigi liceat. Adhuc enim, quamvis inde a renato antiquitatis studio quatuor fere saeculorum labor consumptus sit, tamen supersunt multi, qui quando primum in lucem prodierint, inter omnes parum constat. Si quis igitur ad inveniendos eorum annos aliquid auxilii afferet, spes est fore, ut non solum otio sibi concesso bene utatur verum etiam a studiorum sodalibus comiter accipiatur.

Hac consideratione adductus libellum audebam componere de poeta, quem vocant Manilium. Quoniam enim cum multi scriptores (memini autem Velleii et Curtii) tum iste Latinus, cuius nomine Astronomicon libros V homines docti e bibliothecis edere consueverunt, saeculis post mortem omnibus paucorum fuit, quae est de eius aetate quaestio, hanc nondum debemus ad eum finem perductam putare, ut quiddam certi nec ambigui in medium proferatur. E contrario reperiuntur, qui paene desperent aliquando ita, ut est in votis investigatorum antiquitatis, interrogantibus posse responderi. — Sed operae sane pretium est vel maxime arduam rem identidem tractare, modo vetus quaedam, quae de ea habetur, sententia novis ar-

gumentis certior fiat ac stabiliatur. Cuius rei occasionem nanctus quandoquidem talem qualem significavi molem subire me iuvat, iam et ipse quaecumque viri docti de Manilii aevo usque ad hunc diem iudicavere, in utramque partem disputabo idque ita, ut alia gravissimis rationibus probata teneam alia deteriore nota signata a re disceptanda in aeternum repellam. — Deinde si quid novi ac memorabilis forte nobis obtigerit, id aptissimo quoque loco ad peritiores arbitros deferam. Videlicet erit magna quaestio etiam de iis hominibus, qui Manilii vel auctores vel familiares vel assecutores fuisse putandi sunt, si quidem his cognitis ipse inter certos annorum terminos includetur.

Quibus praemissis restat, ut qui viri docti haud mediocri opera me adiuverint, paucis ostendam. Sunt igitur inprimis:

Josephus Scaliger, qui ante hos CCC annos Parisiis Astronomicon libros edidit ornatos commentario, ut solet scribere, satis amplo;

Ricardus Bentleius, qui curante Londini a. 1739 nepote carminis contextum recensitum cum praefatione parvula posteris reliquit;

Carolus Lachmannus, cuius inter observationes criticas Gottingae a. 1815 scriptas caput I de Manilii aetate habetur (v. Kl. Schriften z. klass. Philol. pag. 42 seq.);

Fridericus Jacobus, qui de eadem re et in programmate Lubecensi a. 1832 et in praefatione suae Manilii editioni a. 1849 adiecta pluribus disseruit;

Rudolphus Merkelius, a quo prolatas de poeta argutas sententias in prolusione ad Ovidii Ibin Berolini a. 1837 (v. Ovid. Trist. p. 393—406) facta legimus.

Praeter hos si qui de indaganda Manilii aetate bene meriti sunt, eos ubicunque decet iustis laudibus efferam.

Iam vides tantis cum viris mihi fore certamen, in quantos summam tantum verecundiam meam iuvenis existimantis esse oporteat. Fortiter tamen ad propositam rem aggrediamur!

Caput I.

De carminis inscriptione.

Hinc disserendi initium ut sumamus, auctoritate commovemur Bentleii, quippe qui nepote teste primum ex ipso operis titulo abunde statuerit liquere auctorem tempore Augusti fuisse. Atque eo accuratius et exponenda ea res et diiudicanda videtur, quo longius de ea alii dissentiunt.

Accidit enim M. Manilio, ut a nullo antiquitatis neque poeta neque oratore neque grammatico unquam in partes vocatus sit.[1] Extemplo igitur exsistit quaestio, qua aetate ipse floruerit. Neque vero eius facilis erit et prompta responsio: quoniam testis, quem posteriorum temporum unicum habemus, Gerbertus pontifex saeculo p. Chr. decimo ab amico M. Manilii libros de astrologia petens in epistola nullis prorsus quis poeta fuerit quandove vixerit verbis docuit,[2] facere non possumus, quin illarum rerum indicia e libris manu scriptis eruamus.

Quid autem proficiemus, si monente Bentleii nepote carminis i n s c r i p t i o n e s[3]) collegerimus collectasque contulerimus? Hoc si quaeras, libere fatendum est primum apparere ne nomen quidem poetae posse stare. Etenim codex, qui ceteros vetustate sine dubio superat, nullum a prima manu habet nomen, ab altera demum saec. XV. additum: M ă l i u s p o e t a. At in recentioribus, qui eiusdem fere aetatis (i. e. saec. XV.) omnes sunt, aliis carmen traditur esse Arati philosophi aliis

---

1) Merk. Prol. p. 400. 2) Fabricii bibl. Lat. I., p. 499 ed. Ernesti. 3) Cfr. Jac. praef. p. V.—XII.

sive Mallii EQVOM sive Mallii poetae illustris sive boeni sive Malii sive Manlii poetae clarissimi sive Manilii sive Manilii Boeni. — Qua e nominum serie etiam si legitime Aratum ut alicuius fraude introductum movimus, talia tamen restant, qualia non a librariis solis verum a scriptoribus ipsis permixta videntur. Ergo quid est cur Mallio, qui in exemplari diligentissime scripto reperitur, sive Manlio Manilium praeferamus? Laudaverit quispiam huius auctorem Gerbertum pontificem, sed nulla probabit ratione eum verum poetae nomen nec iam falsum memoria tenuisse.

Nec solae nominis literae vacillant, sed etiam quem ad modum Aratus sic Manilius legentis cuiusdam arbitratu ad honorem auctoris Astronomicon videtur adscendisse. Hanc labimur ad opinionem necessario, ut primum sumus recordati nullam omnino inscriptionem carminis fuisse in codice longe vetustissimo Gemblacensi. Quem qui ultimus inspexit Theodorus Oehler,[4]) non ad persuadendum apte demonstravit, sed credidit tantum ibi titulum aliquo casu periisse. Adeo hoc a natura libri abhorret. Nam si qua ante carminis principium de poeta verba fuissent, haec in iis quoque, qui primum subsequuntur, libris a librario suae artis peritissimo opportuno loco appicta reperiremus. Cuius rei ne minima quidem apparent vestigia. Quid autem aptius excogitatur quam eum, qui a scribendis codicibus erat, usum esse Astronomicon exemplo, in quo titulus iam non fuit residuus? Inde facillime sane intellegitur, cur inscriptione Gemblacensis vacet. Deinde nullam aliam video causam subesse, quod ii libri, qui cum illo nulla parte cohaerent, velut Lipsiensis et Bruxellensis, nomen Arati tanquam auctoris tradunt. Hoc nomen aliquem tenebrionem invenisse ex similitudine, quam esse meminerat Astronomicis cum Phaenomenis Solensis, cum plane appareat, cur tandem tam inepte ille finxisset, si in exemplo iam certum nomen habuisset? — Denique ceteri quoque codices, quibus hoc literis quibusdam depravatum quidem sed Manilio

4) Cfr. Jac. praef. p. VII. VIII.

simile continetur, fluxisse putandi sunt ex archetypo non inscripto. Quam ad rem demonstrandum commodissimum est, quod isti supra prooemium libri I. indicant carmen missum esse ad Augustum principem. Namque in hanc tituli partem priorem cadit maxima commenti suspicio.

Quisquis enim haud omnino rerum Romanarum imperitus primos carminis versus perlustraverit, neglectis reliquis ultro in eam veniet opinionem, ut de Octaviano verba fieri credat, neque ulla dedita opera carminis si desiderabit titulum ita supplere poterit, ut inscribat sive ut est in Vossiano I: „ad Caesarem Augustum" sive ad exemplum Vaticani (n. 3089) „ad Octavianum Augustum". — At quae fieri potuerunt, ea re vera facta esse optime mea quidem sententia cognoscitur ex titulo Vossiani II, cuius summa nunc est fides et auctoritas. Is constat his verbis: „M. Mȧllii EQVOM astronomicon divo oct. quirino augq prooemium lib. pr." Quis tandem poeta sana mente usus eum, ad quem carmina sua daturus erat, iam in prima pagina tot cognominibus iisque miro modo consertis unquam cumulavit? Immo aurea quidem Augusti aetate nemo sane scriptor opera sua dedicavit Divo Octaviano Quirino Augusto. Talis nominum congeries nescio an multo melius conveniat temporibus quae dicuntur Byzantinis. Quin etiam hoc sine ulla dubitatione pro vero affirmaverim ab homine quodam satis inepto, qui Astronomicis operam dabat, consutum esse illum indicem ex iis nominibus, quae in versibus libri I., 7. 8. 800. 801 exstant:

„Tu Caesar, patriae princepsque paterque,
Qui regis augustis parentem legibus orbem.
. . regit Augustus socio per signa Tonante.
Cernit et in coetu Divum magnumque Quirinum."

Id quidem profecto mirum non est, quod aliquis astrologus, Firmicorum instar, ea nomina, quae de Caesare et Romulo nuncupata a poeta sunt, contulit in Octavianum, quem unum Caesarem Augustum cognominari posse putaret, fortasse ne hoc quidem oblitus, illi saepe cognomen Divi ab Ovidio, a Vergilio semel (Georg. III, 27) Quirini indi. Nec hominem

Byzantinum praesertim literatum dedecet ea cognomina, quibus in carmine ipso ad celebrandum principem uti poetae liceat, etiam inscriptioni illius inseruisse, tanquam si iam mortuus atque inter superos receptus Augustus astronomico carmine a Manilio donatus esset[5]).

Quod si recte posuimus Octavianum poetae patronum ex nescio cuius lectoris capite ortum esse eodem modo, quo quis Germanicum Aratea ad Augustum mittentem fecit[6]), nullo, ut opinor, passu a veritate Bentleio duce aberramus, cum Manilium et ipsum inde originem ducere sentimus. Fingamus enim animo ab eodem homine, qui quidem Octaviani nomen coniectando assecutus esset, astrologum huius principis aequalem esse quaesitum atque aliquando apud Plinium in Naturali Historia[7]) ei opportune oblatum Manlium sive Manilium, qui pilam Augusti obelisco imposuisse narratur, numquid eum impedivit, quominus hunc mathematicum inter poetas referret relatumque Astronomicon auctorem esse in volumine suo adderet? Cuius modi nihil prorsus fuisse ubi primum cognovi, quin huius nomen carmini prius praescriptum esset, tanta inscriptionum unius operis diversitate equidem vix dubitabam ac ceteros quoque sperabam in meam sententiam sua sponte discessuros, si quidem constat Manilium poetam et qui a Plinio memoratur Manilium mathematicum olim esse commutatos. Habemus profecto in codice Laurentiano infra carmen mathematici illius vitam, quae superest in naturali historia, breviter explanatam[8]). —

Denique quod in codicum huius generis titulis legimus „Astronomicon", hoc vocabulum poetae deberi ante omnia

[5]) Hoc vitium nihil habet excusationis, licet verba, quae sunt oct. quirino, perperam scripta esse pro Octaviano facere malis. [6]) cfr. Breys. Germ. Arat. praef. p. XXV. [7]) Plin. N. H. 36, 10. [8]) Noli credere ullo modo fugere me potuisse, in ipsius quoque mathematici nomine codices pariter atque Astronomicon auctoris vacillare. Sed haec res non est ea, qua opinio mea in cassum redigatur. Byzantinum enim illum, quem posui, nescio an sat credibile sit Manilii nec Facundi Novii, quod est in optimo codice, nomen apud Plinium invenisse.

nego. Quo mehercle commodius, deficiente carminis indice, nihil inscribi potuit. Etenim quoniam omnes fere didactici Graecis verbis carmina inscripserunt, velut Bucolica, Georgica, Cynegetica, si quis omnino titulum quaerebat, hunc ad optimum exemplum conformare ei licuit. — Sic conquisitis undique vocabulis inscriptio in uno exemplo semel facta inde, ut puto, in apographa alia integra alia libero librariorum arbitrio variata iam multo ante Gerbertum, qui pontifex maximus Silvester II. cognominatus a. 1003 obiit, translata fuit.

Quae cuncta ut paucis comprehendam, statuendum esse existimo primum Astronomicon libros aliquo casu inscriptione deleta in manus posterorum pervenisse, deinde alios archetypon in sua exemplaria sine ullo titulo, ut erat, transcripsisse, alios defectum resarcientes Arati nomen parum diligenti coniectura inventum ultro addidisse, alios eadem via, maiore autem doctrina carmen nomine primum Octaviani, post Manilii ornavisse Plinio auctore. — Hoc quidem rationis auxilio, quicunque in tot inscriptionum discriminibus haeserunt, inde celerius opinione expediuntur. Simile quiddam iam placuit Bentleio, quippe qui iudicasse dicatur: „Sibi quisque ad libitum poetae anonymo affinxit“ ac subsensisse Manilii nomen desumptum ex Plinio. Neque vero ullam animadverto rationem, quae coëgerit summum virum et poetae nomini fidem denegare et reliquis tituli verbis habere. Quare equidem mihi persuadere non potui illius sententiam recte explicatam esse a nepote, cum totum titulum ne flocci quidem esse negaret.

Quo concesso si quis ratione et consilio aget, desinet apud alios scriptores eum Manilium pervestigare, a quo Astronomica composita esse credamus, sive inter eos[9]) versari, qui Manlium paulo post bellum Punicum III Romae astrologiam condentem tanquam proavum illius ante oculos ponant. Quonam enim nomine auctor vocatus sit, plane ignoramus. Tamen quod iam ei Manilio nomen indere pergam, hoc idcirco tantum faciam, ut quid sit mea de poeta anonymo sententia,

---

9) Merk. Prol. p. 401.

brevius dicam. Ac ne Octaviani quidem nomen (id quod postea quoque apparebit) ex inscriptione ad notandam carminis aetatem abripere fas erit. Sunt enim ibi cuncta ingenio priorum lectorum ficta et commenticia. Hoc unum restat, in carminis ipsius corpore ut aetatis indicia haud velata quaerantur.

Caput II.

De electo carminis patrono.

Viri ab Antonio Molinio Matisconensi doctissimi, inprimis ii, quos iam supra dixi, quam futiles essent carminis inscriptiones cum haud dubie perspexissent, versus deinceps omnes arte critica temptantes eos coeperunt locos pervestigare, unde profecti poetam quasi per temporum spatia errantem ad certos aequales reducerent. Sed num quidquid volebant consecuti fuerint, admodum videtur addubitandum. Longe enim inter se de carminis aetate dissident nec paene quidquam de singulorum librorum annis habent, quod hominibus talium rerum peritis probent. Scilicet Scaliger et Bentleius totum opus Augusto principe in formam nobis notam redactum esse existimant, Jacobus et Merkelius[1]) illo imperante incepta, confecta sub Tiberio Astronomica dicunt, Lachmannus solus quaecunque de his vetustatem pertulere, ea post Octaviani mortem scripta esse statuit. Quae sententiarum discrepantia cum ex diversa potissimum orta sit quorundam verborum interpretatione, horum continuationes constituendae concordiae causa denuo in quaestionem vocandae sunt nobis, ut cuius critici placitum melius sustentent diiudicemus.

Ac primum quidem consideratione digni videntur ii versus, qui patronum ab Astronomicon auctore electum indicant. Subsistamus igitur in prooemio libri I, quo poeta se velle pronunciat „sidera fati conscia“ canere.

---

[1]) Merkel. Prol. p. 403. 4.

Ibi inde a versu 7 haec reperimus:

„Hunc mihi tu, Caesar, patriae princepsque paterque,
Qui regis augustis parentem legibus orbem
Concessumque patri mundum deus ipse mereris,
Das animum viresque facis ad tanta canenda".

Sic Manilio eum, ad quem carmen suum missurus est, compellante facile accidit, ut cum voces Caesaris Augusti ad aures tuas perveniant, Octavianum agnoscere tibi videaris, cuius principis olim aliis et ipsis in mentem venisse iam supra demonstravi.

Attamen modo paulo maiore diligentia in talem allocutionem inquisiveris, difficile non erit intellegere nihil prorsus in ea inesse, unde Octaviani quidem mentionem fieri appareat. Quoniam ii, qui huic ante Hadrianum in imperio successerant, nomina illa sibi vindicavere, horum ratio si sola habenda est, nequaquam ex duodecim principibus cuilibet patroni partes dare prohibemur. — Neque vero ea in re ultra Hadriani aetatem progredi licet, quia hoc auctore sancitum est, ut iam non princeps ipse, cui orbis terrarum pareret, sed eius heres legitimus Caesaris cognomine appellaretur. Quo facto ius quidem publicum imperii Romani convincit Manilium iam primo nostrae aerae saeculo vixisse. Sunt igitur in magno errore versati Gevartius eiusque similes, cum miro quodam dicendi genere, quo in carmine usus esset, inducti poetam Theodosii Magni aetate Theodorum Manlium consulem fuisse sentirent. Tale quid ne divinitas quidem principis laudata impedimento fuit, ne opinarentur! — At etiam plura in prooemio, de quo agimus, verba habentur nec ea magis ambigua, quam unde quid amplius ad constituendos poetae annos redundet. Quoniam autem ceteri loci ita comparati videntur, ut hominibus doctis iam hoc unum liceat disceptare, ad Octavianum an ad Tiberium poeta se convertat, — apparebit autem infra hoc rectissime agi — nos quidem ne frustra tempus operamve consumamus, statim istud anquirere in illa contentione debemus, utro de principe appellatio, quae exstat in carminis exordio, aptius accipiatur.

Proinde versus, quos supra attuli, inspiciamus accuratius singulos!

His Octavianum quodam modo potuisse laudari equidem non is sum, qui negem: Caesar illum sibi pro filio adoptaverat, Munatius cognomine Augusti ornaverat, Agrippa censor senatus principem dixerat, populus patrem patriae salutaverat, neque Julii unius anima credebatur in caelum recepta esse, sed filius et ipse iam vivus et a poetis et a populo afficiebatur honore divino; denique hoc monente multi ut Musis se dederent incitabantur. — Contra si Tiberii gratiam ab initio poetam sequi malumus, primo quidem adspectu nos illius res memoria tenentes offendit, quod appellatur „patriae princepsque paterque“. Nam cum eum honores ut domini tanquam divinas occupationes ita principis et patris patriae detrectavisse definitis verbis constet,[2]) talibus alloqui vocibus minus fuisse commodum videtur.

Quod quamquam videtur, tamen non est. Noli enim oblivisci, quamvis Tiberius nomina illa repudiaverit, teste Tacito ei et a senatu delata et a populo assentationis causa saepius esse indita. An dubitamus Manilium inter cives principi adulaturos numerare? Neque ulla res impedit, quin mores Tiberii negemus magis notos fuisse Manilio Astronomica incohanti quam Valerio Maximo,[3]) a quo ille sine metu „princeps paterque noster“ vocatus est. Deinde ipsum accepimus Tiberium quinto imperii anno cognomen principis ut sibi ingereretur permisisse. Itaque fac, a patre quidem patriae, ne tantopere commovearis, ut Merkelio[4]) assensus illum de Octaviano accipiendum necessario esse existimes. — Quid? quod eidem viro docto, si poeta alterum principem celebrare versibus putandus sit, ne augustae quidem leges satis placent. Augusti, inquit, appellationem non dilexit Tiberius.[5]) Hoc recte admonetur, neque vero eius modi est, quo a Tiberio

---

[2]) Cfr. Dio. 52, 41. 57, 8. — Suet. Tib. 26. — Ov. Fast. I, 67. 714. 287. 701. 721 dux. [3]) Val. Max. Tib. 5, 5, 3. [4]) Merk. Prol. p. 403. [5]) Suet. Tib. 17. 26.

recedere cogamur. Narrat enim, quod Merkelius ipse addit, Suetonius omnino Augusti nomen ab illo tanquam hereditarium epistolis ad reges ac dynastas missis esse praescriptum. In nummis quoque aureis plerumque Graecis id ipse excudendum curavit. Et ab Ovidio[6]) aliquoties Augustus dicitur. — Denique a Tiberii consiliis neutiquam abhorret, quod laudatur hoc versu:

„Concessumque patri mundum deus ipse mereris".

Etenim etiam si templa, ut testatur Suetonius, flamines sacerdotes decerni sibi prohibuit, etiam statuas atque imagines nisi permittente se poni, permisitque ea sola condicione, ne inter simulacra deorum sed inter ornamenta aedium ponerentur, etiam si talem animum ipse nunquam mutavit — in Urbe tamen et in provinciis non modo ipsi verum etiam matri divinos honores tributos esse inter omnes constat.[7]) Erat sane, ut ait Plinius, venustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscriberent. Ceterum quandoquidem deum esse omnes patrem crediderunt, vel inde sacrorum lege filius et ipse etiam invitus fuit particeps divinitatis. Quam ob rem admirationi non est, quod in inscriptione quadam duo flamines commemorantur Tib. Caes. Augusti.[8])

Quae cum ita sint, hincne quaestio nostra haud prospere cedet?

Immo nobis quidem augustae leges nullo iam pacto probarentur, si ad Octavianum pertinerent.

Cum veri certe sit simillimum eam adiectivi formam, quae est „augustus", derivari a nomine Augusti, ita ut Augustae leges dicantur pro legibus Augusti aeque ac pax et domus Augusta apud Ovidium — quis est, qui nobis persuadeat istud adiectivum eandem vim habere quam „sacrosanctus" sive „inviolatus"? Sine errore igitur nomina Caesaris atque Augusti si inter legendum exaudivimus, mire profecto paeneque perverse confirmavit poeta hanc sententiam: „Tu, Caesar Octaviane, regis

[6]) Fast. I, 531. Ex Ponto IV, 9, 70. [7]) Tac. Ann. IV, 36—38 Plin. N. H. II, 7, p. 106 Si. [8]) Cfr. Ann. IV, 15.

orbem terrarum legibus Augusti". Sana autem et vere pulchra nascetur, si ante oculos scribentis Tiberium versantem cogitatione fingemus. Qui quoniam reipublicae gubernacula prendens in acta Augusti iuravit ac postea dictitavit se omnia facta dictaque eius vice legis observare[9]), dubium non est, quin iterum imperio Romano Augusti leges imposuerit. Quin apud Tacitum[10]) legitur: „Neque in acta sua iurari, quamquam censente senatu, permisit." His cognitis potuitne poeta quidquam in Tiberii laudem melius proferre quam istum versum:

„Tu, Caesar, patriae princepsque paterque,
Qui regis Augustis parentem legibus orbem"?

Nihilo secius tamen si quis Augustas leges ipsius Octaviani esse agnoverit, ad Tiberium carmen missurum fuisse poetam certe ne propterea quidem negabit, quod edicta ab illo, non leges dari potuisse Merkelius (l. c p. 403) persuaserit, qui ipse diversas eas res confundere poetae esse concessit; neque enim ignorabit leges, quae iure publico dici solent, Julias.

Denique versum:

„Concessumque patri mundum deus ipse mereris."

ita interpretandum esse licet censeas, ut patrem Caesarem, Octavianum deum intellegas, vix tamen rationem aliquam invenias, qua ea, quae subsequuntur, pariter de hoc dicta esse arguas. Inde enim a I, 10 haec exstant:

„Hunc mihi . . .
„Das animum viresque facis ad tanta canenda;
„Iam propriusque favet mundus scrutantibus ipsum
„Et cupit aetherios per carmina pandere census.
„Hoc sub pace vocat."

Canente igitur caelum stellasque earumque vires poeta, cives dulcedine pacis fruuntur. Post cladem Varianam*) antequam Octavianus diem supremum obiisset, num unus fuit sine gravi bello annus? Immo accepta illa clade, quam Manilius

---

9) Tac. Ann. III, 28. IV, 42. 10) Ann. I, 72. *) Man. I, 899.

iam primo libro (v. 899) in memoriam reducit, secutae sunt expeditiones Tiberii Germanicae, unde post biennium ad triumphum non huius sed superioris Pannonici belli avocatus successorem „reliqua belli patraturum" habuit Germanicum. Itaque cum ante Augusti mortem pax ne in spe quidem fuerit neque convenerit, quod postea ostendam, ante proavos nostros a. U. 769 a Germanico pacatos, nullo pacto, nisi forte Manilium nimis credulum fuisse putas, fieri potuit, ut ad Octavianum de otio et pace scriberetur. Potuit autem aliquot annis post ad Tiberium principem tale aliquid optimo iure dari. —

Accedit aliud. Pax sola, etiam si totam per vitam rei publicae eam conservare principi maxime curae est, nescio an nulla parte sufficiat ad incitandum vatem, praesertim cum materiam eam, qua nulla asperior magisque ardua potest excogitari, quam diligentissime tractare in animum induxerit, sed illi adsit necesse est gratia hominis eius, qui res caelestes nec more vulgi rudis neglegat aut reformidet et tanto amore studioque amplectatur, ut quicunque illis una secum operam daturi sint, eos bene accipiat, collaudet, adiuvet. Cuiusmodi res a poeta indicari versibus, quos quidem supra interposui, apertum et manifestum est. Quod si quaeras, uter post cladem Varianam arti et poeticae et astrologicae favens auctoritate sua Manilium melius sustentare potuerit, Octavianus senex an Tiberius, plurimum sane Suetonius et Tacitus, veracissimi illi auctores, conferunt, ut alterum principem poetae applicare malimus vel potius debeamus.

Suetonius[11]) narrat mira quadam superstitione imbutum fuisse Octavianum, tonitrua et fulgura paulo infirmius expavisse; somnia neque sua neque aliena de se maxime per menses veris neglexisse; auspicia quaedam et omina pro certissimis observasse, motum ostentis timuisse quosdam dies, quin et bellorum omnium eventus et suam mortem praesensisse ac divinitatem; denique, quod nobis sane summum est, tantam Theogene auctore fiduciam fati habuisse, ut thema suum

---

11) Oct. c. 90—95.

vulgaverit nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit.[12] — Porro apud Plinium[13] traditum est „non multo post obitum patris Caesaris, cum Augustus ludos faceret Veneri Genetrici, apparuisse terrificum magna ex parte sidus atque non leviter piatum, sed ab Octaviano admodum faustum et sibi ipsi natum indicatum; at vulgum credidisse, eo sidere significari Caesaris animam inter deorum immortalium numina receptam". Et Augustus illam stellam Juliam, teste Servio,[14] Caesaris statuis apponere consuevit. — Quibus allatis testimoniis efficitur quidem, ut Octavianum concedamus in rebus gerendis astrologorum ipsorum identidem consilio usum esse atque cognitionem caeli usque ad mortem magni fecisse. Sed tantum abest, ut Astronomica in illius spem gratiae scripta esse inde colligamus, ut Augustum negemus quamvis carmina recitantes amicos et benigne et patienter audiverit,[15] astronomicis carminibus fuisse oblectatum. Nam ne id quidem silendum est, principis huius post cladem Varianam morositatem atque asperitatem[16] vix potuisse tolerari a poetis. Denique si tibi in mentem venerit casuum Labieni, Severi, Ovidii — scriptum esse ad ipsum Augustum quamvis rerum caelestium cognoscendarum cupidum de adversissima pugna versum I, 905:

„Saepe domi culpa est; nescimus credere caelo."

etiam tunc tibi num poterit probari?

Contra si quem Manilii patronum dignum anquiris, facere non possum quin Tiberium tibi unicum proponam. Etenim in hunc ab omni parte ea quidem bene quadrant, quae ex Astronomicon libro I ad principem referri possint. Maxime quae inde a versu 10 habentur:

„Das animum viresque facis, ut non tantum iuvet signa et adversos stellarum noscere cursus, sed etiam impensius ipsa scire penitus magni mundi praecordia"

---

12) Cfr. Tac. A. IV, 38. 13) N. H. II, §. 92. 14) Ad Aen. X, 316. Cfr. etiam a. A. IX, 47, deinde Herm. IX, p. 343, ubi Jordanus de templo Divi Julii disseruit. 15) Suet. Oct. c. 89. 16) Senec. controv. II, 12, 12.

haec vera aliquando fuisse testantur et Suetonius et Tacitus in enarrandis Tiberii rebus. Reperies enim apud illum[17]) in vita principis: „Circa deos ac religiones neglegentior; quippe addictus mathematicae persuasionisque plenus, cuncta fato cogi“ — apud hunc in Annalibus VI, 20 talia fere: „Galbae consuli seram ac brevem potentiam significavit scientia Chaldaeorum artis, cuius apiscendae otium apud Rhodum, magistrum Thrasyllum habuit, peritiam eius expertus, cum imperium ipsi et futura sollerter patefaceret, (contemplans) genitalem horam . . diem . . annum . . positus siderum ac spatia . . . Quaeque dixerat, oracli vice accipiens eum inter intimos amicorum tenet.“ Qua ex narratiuncula operam dedisse astrologiae cognoscimus Tiberium etiam a. U. 786, aliunde[18]) apparet, astrologos qui dicebantur Chaldaeos a criminibus satis esse defensos. Velut a. U. 769, quo, cum Libo Drusus rerum novarum reus causa cecidisset, facta sunt de mathematicis (i. e. astrologis) magisque Italia pellendis senatus consulta, princeps ipse amicos sic videtur servasse, ut coram deprecantibus ac „se artem desituros“ promittentibus veniam daret.[19]) Ubi tandem de Octaviano quidquam simile?

Adde quod Tiberius ipse composuit et Latinum carmen lyricum et Graeca poemata, imitatus Euphorionem et Rhianum et Parthenium . . . . quapropter, ut ait Suetonius (T. c. 70) plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt.

Quae omnia complexi coniectura nonne eo ducimur, ut Tiberium persentiamus in astronomiae studiis adamasse Aratum Euclidem Hipparchum alios Alexandrinis quae vocant temporibus de illa arte bene meritos? Itaque sine ulla dubitatione confirmaverim inter eruditos illos, quos ad Tiberium opera misisse Suetonius memorat, cum Pedone „sidereo“[20]) et Ger-

---

[17]) Tib. c. 69. Cfr. Tib. c. 14. Cfr. Man. II, 144. IV, 871. [18]) A. III, 22. ibid II, 27. 32. [19]) Suet. Tib. 36. Cfr. Man. II, 109. 110. [20]) Ex Ponto IV, 16, 4.

manico Caesare fuisse et ipsum Astronomicon auctorem. Quotus enim quisque fuit hominum literatorum, quin mox in principis favorem speraret se venturum, si inter caeli siderumque interpretes inprimis poetas versaretur?

Denique a nullo principe nisi ab Augusti privigno constat diligentius ac religiosius, si bellum Germanicum hereditate acceptum exceperis, pacis et otii tranquillitatem esse servatam. (Cfr. v. 13.)

Quibus expositis iam non vereor, ne praefari Manilium ad Augustum posse existimes, cui mortuo idem, quod Caesari olim, caelum patuit. Neque enim aut Suetonii aut Taciti testimonia in nostra quidem causa sunt ea, quae Augusti auctoritatem tueantur. Paulatim vero neglectis ceteris hominibus doctis coeperis aliquid habere fidei Carolo Lachmanno Tiberium quasi carminis patronum defendenti ab alia parte.

Ac ne hoc quidem agnoscere dubitabis ad filium potius ad patrem clam spectare, quae de Chaldaeis leguntur vs. 40—42:

„Et natura dedit vires seque ipsa reclusit,
Regales animos primum dignata movere
Proxima tangentis rerum fastigia caelo.“

Namque sic videtur hoc loco poeta sensisse: reges fuisse, qui ad contemplandum caelum pervestigandumque primi oculos humo attollerent; regem esse eum, quo favente atque iuvante caeli natura tam aperta perspectaque constaret, ut eius vires numeris inclusas ad artem et praecepta revocare fas esset. In nullo profecto principum, qui usque ad Hadrianum floruerunt, quamvis Velleium Suetonium Tacitum alios volveris, tantum rerum astrologicarum reperies amorem, quantum quidem Tiberii fuisse accepimus. Ita ad illas res canendas ingenia incitans hic ipse factus est caelo maximus, quem esse posterius v. 386 obscure, ut opinor, significatur.

Quis denique inter principes, nisi Octavianum respexeris, sanctius Fortunam deam venerandam sibi in regno fati putare potuit quam is, a quo aedem Fortis Fortunae in hortis Caesaris a. U. c. 770 exstructam esse Tacitus (A. II, 41.) memoriae prodit? In talem Tiberii opinionem nihil quadrat

melius, quam quod Manilius in fine praefationis ad Caesarem datae exclamat v. 114:

„Faveat magno Fortuna labori.“

Itaque ea ipsa re Tiberium et eum, qui illius cliens videtur, coniungere si tibi placet, iam quodam modo conicere potes eo anno, quem bis notavi, carminis condendi poetam fecisse initium. Etenim quamvis illis temporibus Fortuna teste Plinio (N. H. 2, 7.) apud omnes in honore divino fuerit eaque de causa saepe iam a prioribus poetis invocata, tamen templum eius recens consecratum poetae iuveni causa esse potuit, ut crebrius exspectatione carmini deae mentionem interposuerit.

Nihilo minus tamen ad Tiberium tum demum honorem patroni legitime transferre licebit, cum aliis locis mortuum scribente Manilio fuisse Octavianum plane ac definite confirmavero.

Caput III.

De Octaviano iam Divo.

Ad hanc rem demonstrandam quaecunque idonea sunt quod subvehuntur e quatuor locis, in quibus et Scaliger magnopere offendens tantum modo sententias inter se repugnantes dispexit neque Bentleius omnino artem interpretandi exercuisse videtur, at alii plerique Octavianum orbi terrarum imperantem reperire sibi visi sunt, — eo lucem plurimam minima sane face attulisse principis et solius Lachmanni est.[1]) Cuius cum nemo fere posteriorum vestigiis institerit, Manilium quasi iacturam fecisse ratus nihil antiquius habeo, quam ut summi viri iudicio longe omnium consideratissimo dignitatem auctoritatemque et restituam et pro viribus meis augeam.

Proficisci autem lubet a parte obscuriore, nempe ab iis versibus, quibus poeta notia signa septentrionalibus peiora esse negat idque ita inde a I, 384:

---

[1]) Cfr. opusc. min. I, p. 42—44.

„Cetera non cedunt; uno vincuntur in astro,
Augustum sidus nostro quod contigit orbi:
Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor!"

Ad haec verba adnotavit Merkelius in prolusione ad Ibin: „versus intellegendi sunt de stella Julia, Caesaris statuis apponi solita ab Augusto, quae ad ipsum quoque Augustum referenda videtur, si quidem ex augurali disciplina explicanda sit", atque hanc rem defendit sine dubio recte versu Horatiano,[2]) unde Iulium sidus Augusti ipsius quoque proprium fuisse iam alii collegerant. Nullum tamen videtur argumentum, quo ille utitur, ut verba, quae modo interposui, Maniliana pertinere ad Octavianum statuat: nihil prorsus interest, ut puto, is, cuius de astro mentio fit, Juliaene genti se accensuerit an alii[3]), sed quoniam Julium sidus Augustum quoque esse potuit, plus ad dirimendam causam et hic et alibi valet, quod quisquis Caesari in imperio successerat, Caesaris et Augusti cognomine ornatus fuit. Quod si quidem est, facile fieri potuit, ut vivente Octaviano sidus illud Julium, mortuo principe Augustum appellare astrologi consuescerent[4]). Vix autem, quamquam iam multo ante Horatius Vergilius Propertius Ovidius Julium sub Augustum depresserunt, quasi timuissent, ne illo magnifice celebrato huius laudes obscurarent, — vix, inquam, est credibile, nisi forte in „augustus" adiectivo vulgaris sensus inest, poetam scripsisse „Augustum astrum caelo septentrionali contigisse", antequam Octaviani anima in caelum adscendisset. Ante hoc tempus mensis Augustus iuxta Julium, nec vero sidus Augustum vice sideris Julii esse potuit. Itaque rectius quam principe de vivo, quem Merkelius aliique praeferunt, I, 384—386 adnuente Lachmanno accipiuntur de Divo. — Deinde nemo rerum Romanorum obstat scriptor, quo-

---

[2]) Cfr. Orellii Hor. Od. I, 12, 47. [3]) Cfr. Dio. Cass. 55, 27. Ov. Fast. IV, 859. [4]) Animadverte quaeso nunquam Divi Julii meminisse acta Arvalium ad cultum gentis Juliae pertinentia primumque, qui inter Divos commemoretur, Octavianum esse. Cfr. Henzeni act. fratr. Arval. p. 149.

minus sidus omnium Augustorum fuisse dicamus civesque credidisse unius cuiusque animam eo evolare atque ut in terris sic in caelo principi principem succedere. Nam ut infra in I, 799 est, „proles Julia descendit caelo caelumque replevit“, atque auctore Ovidio Caesaris res gestae eum „in sidus vertere novum stellamque comantem“. Quo posito nemo iam haerebit in versu extremo legens:

„Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor“,

sed etsi ibi adulatio tam late patet, ut quemlibet principem attingat, tamen non ignorans, quantum in cognoscendis caelestibus rebus profecerit Tiberius, huius, quippe cui bene conveniant omnia, memoriam redintegrabit hoc fere modo: In sidere Augusto, cuius summa in caelo vis auctoritasque est, nunc regnat Octavianus, in orbe terrarum tu, Tiberi; sed ut primum diem supremum obieris, post patrem summum caeli imperium obtinebis.

Ceterum hoc loco animadvertas sis Manilium verbis ludere iisdem, quibus de Tiberio ipse quoque Ovidius in Fastis (I, 608—616) Jovem invocans:

„Augeat imperium nostri ducis, augeat annos“.

Jam vero in sidere Augusto animas Juliae gentis habitare atque inde principe Augusto totum caelûm regere multo clarius apparet ex eo loco, unde Lachmannus quaestionis initium sumpsit. Exstat autem inter versum I, 798 et 804, ubi quaenam res a fato in stellarum numinibus collocato apud Graecos et Romanos iam praeclare gestae sint sat copiose enarrans cum multa poeta scripsit tum haec:

„Veneris ab origine proles
Julia descendit caelo caelumque replevit,
Quod regit Augustus socio per signa Tonante,
Cernit et in coeto Divum magnumque Quirinum,
Altius aetherei quam candet circulus orbis.
Illa deûm sedes, haec illi proxima Divûm,
Qui virtute sua similes vestigia tangunt“.

Quae verba iam Scaligero ceterisque, qui carmen ante mortem Augusti scriptum esse aliunde cognovisse sibi videbantur, maximum iniecerunt scrupulum. Quare, inquit ille,

dicit poeta caelum regi ab Augusto, in quod nondum relatus erat? Hoc mortuo Augusto melius conveniebat."

Doctissimus ille vir utinam scripsissit non „melius" sed omni ex parte soli defuncto! Inde enim, nisi forte omnes cogitandi leges hoc loco non vigent, necesse est colligamus Augustum iam in caelestium domibus sedem constituisse. Recte profecto negandum existimat caelum aliter posse ab illo regi; an dubitamus fidem habere illi versui, quem supra adscripsi:

„Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor"?

Deinde qui tandem fit, ut socius per signa Jovis Tonantis Octavianus appelletur, nisi hunc terrarum orbem alii gubernandum reliquit? Quod argumentum ut frangeret, cum signa non imagines stellarum sed aquilas esse diceret, Merkelius tam longe a saluberrima naturalis rationis via aberravit, ut eius vestigia sequi ridiculum videatur. Vellem ex eadem Fastorum parte, unde sacras aves petivit, simul deos caelo labentia signa tenentes (III, 115) arcessivisset!

Tum Augustus, inquit poeta, cernit in coetu Divum magnumque Quirinum[5]). Est igitur ille non in terris, unde caelum contemplatur, sed eodem loco, quo abiisse Caesar et Romulus creduntur. — At dicat Merkelius versu I, 914 vivum principem appellari rectorem Olympi. Cur vivum? Immo brevitatem orationis, ut solet, affectans indicat poeta: eum, qui nunc quidem Tonantis instar (I, 918) caelo praeest, tum apud Actium in mari esse petitum. Quam sententiam versibus V, 53—54 sine dubio post mortem Augusti ita verbis mutare videtur, ut ponat: Tolle e sideribus Argo navem, non

„Actiacosque sinus inter suspensus utrimque
„Orbis et in ponto caeli fortuna natabit".

Nimirum Augustum caeli fortunam vocare nemini non licet, quandoquidem Caesare auctore eum ad destinandam fortunam in caelum adscendisse in opinione omnium est. Quin etiam verba poetae non repugnant, ne universam sententiam

---

5) Respicit poeta sine dubio cultum Romuli ab Octaviano redintegratum. Cfr. Eph. epigr. a. 1872 p. 240.

exprimant, referentibus nobis „suspensum orbem“ ad fortunam indeque audientibus: „Pugna Actiaca de fortuna orbis et caeli, de salute totius mundi agetur“. Itaque quocunque modo res se habet, nihil subest, cur Octavianum scribente Manilio vita in Urbe frui credamus.

Denique quo pacto Caesar, Divus ille κατ' ἐξοχήν, caelum replevisse putandus est? Scilicet, ut ait Lachmannus, non eo, quod ipse solus deus factus est, sed posteris suis itidem ducendis in caelum. Non igitur poterat dici „replevit caelum“, nisi unus saltem e progenie Caesarem ad superos subsecutus fuisset. Namque opinari sola Julii anima caelum expletum et cumulatum etiam in altiore sede (v. 802) fuisse nescio an aliquanto ineptius sit. Certe semper locus patuerit ei, qui a Jove Optimo Maximo ad regenda sidera vocatus fuerit.

Quae cum ita sint, poeta fingere existimandus est Octavianum iam nanctum in caelo, quaecunque de terris a. U. 731 pro eo Jovem precatus erat Horatius (Od. I, 12):

„micat inter omnes
Julium sidus velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanae pater atque custos
Orbe Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
Caesare regnes.
Te minor latum reget aequus orbem,
Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.“[6])

Pergo ad alium locum, ubi Octavianus iam Divus parum velatus sub oculis nostris aderit. Nunc enim inspicienda videtur extrema pagina libri I. Quam multus est poeta in laudibus Augusti! Versu 913 commemorat, per patris vestigia pa-

---

6) Hoc carmen Horatianum si quis comparaverit cum iis verbis, quae apud Manilium inde a I, 702 usque ad vs. 804 habentur, haud aegre sibi persuadebit multa astrologum a lyrico esse mutuatum. Cfr. etiam Ov. Met. XV, 858 e. q. s.

trem Augustum apud Philippos vicisse, neque omittit mentionem pugnae Actiacae, quam Antonius navibus uxoris commisit, adiecit etiam bellum adversus S. Pompeium servis manumissis gestum. Tales autem res nonne gubernanti rem publicam Octaviano summo honori ductae sunt? Hoc quidem affirmandum est; sed viventi una res adversatur neque vincitur a nobis honeste: poeta heredem Caesaris iam vocat rectorem Olympi: Quae appellatio cum mortalem hominem, cui nihil paret nisi orbis terrarum, omnino non deceat, convenit per fas et per omnes divinas atque humanas religiones principi, cui in deorum stellarumque numerum recepto caeli regnum concessum est. Nam, ut iam supra ad versum I, 386 exposui, eam novimus fuisse astrologorum rationem, ut nemo Caesar caelo maximus auctor esse potuerit nisi terris relictis. Quare ne hoc quidem retineor, quin Manilii animo Octavianum iam Divum obversari enunciem. (Cfr. p. 20).

Atque etiam ii versus, quibus Astronomicon liber primus concluditur:

> „Sed satis hoc fatis fuerit, iam bella quiescant
> Atque adamanteis discordia vincta catenis
> Aeternos habeat frenos in carcere clausa.
> Sit pater invictus patriae, sit Roma sub illo
> Cumque deum caelo dederit, non quaerat in orbe!“

etiam ii versus, inquam, absentis principis sine dubio habent indicia. Primum enim cur cui carmen dicatum fuisse omnes fere praeter Lachmannum dicunt, tanquam tertia persona laudatur? Equidem oportere arbitror poetam, ubi ad carminis patronum orationem vertit, directe alloqui, quod, ut exemplum dicam, Ovidius facit in Fastis de Germanico. Apud Manilium autem legimus vs. I, 800: regit Augustus I, 900: vicit A. I, 925 de quo nunc quaestio est: sit pater invictus patriae, sit Roma sub illo. Docet igitur ratio non Octaviani auribus inter canendum poetam blandiri. — Deinde memorata ante clade Variana, cuius maculas ille et usque ad mortem vidit neque unquam eluere potuit, nullo modo tolerandum fuit, quod exstat:

„Sit pater invictus patriae,“

ad Octavianum si hoc dedisset. Nam quem ad modum versibus libri I, 904. 905, qui sunt:

„Nec mirere graves rerumque hominumque ruinas:
„Saepe domi culpa est; nescimus credere caelo“

seni illi verbis male tectis exprobravit, quod parum obtemperans praeceptis astrologorum tres legiones earumque ducem in perniciem incurrere iussisset, sic in extremo eodem libro non sine irrisione, si ad eundem rediisset, a Fortuna precaretur, ut patrem patriae invictum populo Romano servare dignaretur. Hoc autem frigidum iocandi genus poetae animo omni tempore alienissimum fuisse plane intellegi licet. — Tum coram Augusto sententiam expressit parum aptam his verbis: „Sit Roma sub illo!“ Quis tandem fuit, qui post a. U. 762 vel timuerit, ne Octavianus pater patriae esse desineret, vel eum ex altissimo dignitatis gradu praecipitare ausus sit? Neminem unum equidem adhuc vidi apud historicos.

Itaque iam non agnosco eam verborum ambiguitatem, ut haec de Augusto vivente et Tiberio dici unice convenire Merkelio concedam, ac Lachmannus ipse parum me delectat, cum sic ratiocinatur: „Velles de Augusto accipere, nisi de huius obitu adderet ita, ut dolori indulgendum negaret. Haec enim tanto post Caesaris mortem intervallo scribi vix potuere, paulo post Augusti obitum potuere“. Quaecunque enim clarissimus ille vir hoc loco posuit, ea inde assecutus est, quod cum coniunctionem, quae est in versu 926, pro „postquam“ usurpatam esse existimabat. Omnia igitur corruent, si iudicium id, quod factum est de cum coniunctionis potestate, falsum esse ostenderimus. Desunt autem argumenta, quibus illud tanquam certum ac fixum proponatur ita, ut voculam, quae est cum, pro „quotiens“ accipi oportere per se ipsum pateat. Etenim si quidem usque quaque ex ambiguis verbis animus sententiam simpliciorem sincerioremque anquirit, quippe quae maiorem habeat probabilitatem, hoc loco cum pertinere nego ad Octavianum sive Tiberium unum verbum, tum poetam velim tibi persuadeas prorsus generatim atque universe de servando principatu versus fecisse.

Quid autem de ea re senserit si quaeritur, haec fere pluribus verbis explicanda videntur: „Equidem, inquit, precor, ut Fatum in civilibus bellis et clade Variana acquiescat nec plura eiusmodi in mala rempublicam coniciat. Utinam devictis omnibus adversariis populus Romanus semper habeat principem, qui patris instar in pace et domi imperet! Utinam per omnia saecula talis principis sit in tutela neque in manibus eorum, qui novas res moliantur. Atque ubi primum alterum patriae patrem vita cum morte commutata in numero deorum collocavit, semper habeat alterum, qui eodem animo efficiat, ut is, cui in imperio successit, nulla parte desideretur vel requiratur“. Quibus in sententiis nisi quid artificiosius inventum aut subtilius dictum a me est, id unum petit poeta, ut civitati principatus simulque aurea quam vocant aetas sive Augustum saeculum permaneat. Atque hoc sua sponte cadit in vota, quae quidem fuerunt Octaviani et Tiberii temporibus omnium, velut Ovidii, cum scriberet in Fastis (IV, 857—862):

„Urbs oritur . . .
  Victorem terris impositura pedem.
Cuncta regas, et sis magno sub Caesare semper
  Saepe etiam pluris nominis huius habe:
Et quotiens steteris domito sublimis in orbe,
  Omnia sint humeris inferiora tuis“,

nec non Tiberii, ut qui omnibus Augusti actis iureiurando approbatis pacis tantum operibus rempublicam munire maxime studuerit.

Longe vero maximi ad persuadendum momenti et ponderis videtur esse, quod, si poetam plane in universum dixisse damus, statim verborum evanescit ambiguitas obscuritasque, unde quonam de principe haberentur omnibus adhuc exstitit dubitatio. Qua de causa affirmare pro vero audeo a fine libri I arcendam esse eam cogitationem, quae denuo carminis patronum ante oculos ponat. Itaque et ipsius Jacobi magno in errore existimo sententiam esse, qui deum Augustum solum esse censeat atque imperii successorem terrestrem quaeri dicat neque dubitet, quin libro I finis prius impositus fuerit, quam

Tiberius in spem successionis venisset aut expetitus fuisset a populo. Neque enim, ut puto, adesse vult Astronomicon auctor meros Augusti imperii heredes, sed, cum hi ne veniant periculum non sit, id inprimis rogat, ne patriae patres desint.[7]) Rogat autem ita, ut Octavianum tanquam praesentem adspicere non possit. Inde consequens est, ut Astronomica non huic dedicata fuerint, atque colligitur necessario, ut aliunde, abisse iam eum ad Divos.

Verum tamen superesse in libro IV testimonium de vivente certissimum sunt, qui dicant. Inquiramus iam in hunc locum (vv. 933—935), quo Lachmanni sententiam, quam nostram esse volumus, splendide repelli putant:

„Ne dubites homini divinos credere visus:
Iam facit ipse deos mittitque ad sidera numen,
Maius et Augusto crescet sub principe caelum“

neve omittamus, quae adnotavit Jacobus ad versum extremum: „Quo finito hoc libro Augustum non excessisse e vita et inter deos relatum esse certum est et confirmatum“. — Hoc qui tandem efficitur? In epilogo huius libri, quo illi versus continentur, poeta demonstrat „exemplum dei quemque esse in imagine parva“ (v. 895) et caelo cognatum. Cuius rei varia congerit argumenta, e quibus maximum in exitu ponit. Homo, inquit, iam facit ipse deos, est igitur deorum parens eaque re ipse deus, mittitque numina a se facta ad sidera; ita fit, ut in dies longius caeli fines proferantur praesertim principe Augusto. Cum his apte sine dubio comparantur ea, quae iam supra e libro I deprompsimus:

„Proles
Julia descendit caelo caelumque replevit“

et:

„Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor“.

Agnoscis enim sententiarum consensum, qui est de legitima apotheosi Caesaris eiusque prognatorum. Cuius stirpis, ut fert

---

[7]) Huc pertinet etiam, quod omnes principes cognomine patris patriae iure publico appellati sunt.

opinio populi Romani, summus fuit Octavianus crediturque, ut supra explicavi, non modo vivus orbi terrarum feliciter imperasse, verum etiam divus in Julium sive Augustum sidus elatus caelo praeesse. Qua de causa nulla prorsus ratio nos cogit versum 935 ita interpretari, ut Augustum inter mortales adhuc morari, postea autem sua ipsius anima caelum amplificaturum esse dicamus. Haud enim scio an nefas sit tantam poetae vim afferre, ut sub praepositione suo iure eum usum esse cum Jacobo (p. 222) negemus. Quam voculam licet mira varietate loco aliarum protulerit, tamen quid addita aliqua persona significet dubium non est, quoniam bene intelleguntur I, 925: sit Roma sub illo — IV, 23: Troia sub uno non eversa viro: nempe eodem pacto, quo apud Ovidium (Fast. IV, 857—862): sis magno sub Caesare semper. Constat igitur ab hac quidem parte, quod posuimus: crescet caelum imperante Augusto. Nec tamen spectante verbi forma ad futurum tempus possumus diiudicare Octavianus vivusne adhuc orbis terrarum an divus caeli principatum obtineat. Versus enim, qui postremo praecedit:

„Iam facit ipse deos mittitque ad sidera numen"

ad utramque sententiam facile accommodatur: nam Augustus ipse fuit e numero eorum, qui deos fecisse feruntur, cum Caesaris patris animam poscente senatu populoque inter numina rettulit ac fulgente per septem dies continuos stella crinita ad sidera misit, qua de re Ovidius edidit (Met. VIII, 818 — Fast. II, 143):

„Ut deus accedat caelo templisque locetur,
Tu (scil. Venus) facies natusque suus"

et

„Caelestem fecit ille patrem".

Nec, nisi aliunde aliquid lucis afferetur, in tenebris errare prius desinemus, quam neglecto poetarum iure deos numero tantopere presserimus, ut quis homo plures deos creaverit quaerere nos oporteat. Tum demum alius circumspiciendus erit, qui Augusto saeculo caelestium coetum auxisse tradatur.

Neque vero mortales divinis, ut ait poeta, visibus praeditos lustrare diutius opus erit: eum enim, quem in partes vocare volemus, iam deprehendit G. V. Vossius deprehensumque ostendit in libro, qui inscribitur de theologia gentili, ponens cap. XII: apertum esse in fine libri IV ab Astronomicon auctore apotheosin Augusti per Tiberium factam indicari, eiusdemque ad hunc locum principis memoriam Lachmannus revocavit, cum in libello academico fateretur: „Homo facit deos et numina mittit ad caelum, nempe ea, quae I, 756 dicit dignata numina caelo. Possunt haec pluribus modis intellegi, sed optime, ni fallor, docemus Tiberium facere deos, de quo Velleius (II, 126): „Sacravit parentem suum Caesar non imperio sed religione, non appellavit sed fecit deum".[8]) Scilicet Augustum Tiberius deum fecit eoque in caelo imperante crescit deorum numerus Tiberio caeterisque posteris olim caelitum coetui accessuris".

Et haec quidem clarissimorum virorum opinio per se ipsa genere testimoniorum stat plane eodem, quo quae est de Octaviano quidem deorum creatore. Accedunt autem cum omnibus, de quibus haec quaestio est, locis tum extremo in libro quarto aliquot subsidia, quibus iunctis altera opinio alteram superat. Quid? Tacitus, locupletissimus ille auctor, adepto caeli imperium Augusto nonne confirmare potest numinum indeque stellarum numerum crevisse? Quo tradente Tiberium a. U. 770 sacrarium toti genti Juliae dicavisse, quandoquidem nostra in quaestione astrologorum ratio plurimum valet, nostro iure colligimus non modo Caesaris Augustique, sed animas Juliorum omnium velut Lucii et Gaii, illius filiorum, quasi numina aeternis sideribus esse commendatas.[9]) Verum tamen Tiberium humanae divinitatis exemplum ante oculos poetae fuisse quod iudicamus, iis tantum morem gerimus, qui naturalem numeri pluralis vim IV, 934 deleri nolint.

---

[8]) Cfr. Plin. Paneg. c. 11. [9]) Ad haec non sine fructu comparantur ea, quae Henzenus in actis fratr. Arval. p. 148. 949 de consecratione imperatorum exposuit.

At Lachmanno eiusque amicis ab alia parte nihil impedimento est, quominus subveniamus. Sic enim ratiocinari nobis licet: si quartus quoque liber, ubi postrema Augusti mentio exstat, huic principi dedicatus fuit, in hoc autem quorundam aequalium, ut consentaneum est, themata reperiuntur, Octaviani quoque thema, quod quidem ipse maximopere adamavit, suo loco habetur; si non habetur, consequens est, ut ille liber Octaviano iam non donatus sit; cuius rei si causa quaeritur, ea omnium facillime a natura oritur, quam supra aperuimus, cum diceremus aggrediente ad carmen scribendum Manilio Augustum iam Divorum socium vel potius auctorem fuisse. Itaque cum hunc Capricorni signo natum fuisse Suetonius (Oct. c. 94) in altera vita testetur et poeta ipse hoc versu, qui est II, 508, 509:

„Quid enim mirabitur ille
Maius, in Augusti felix cum fulserit ortum?“

— ut Capricorno vel sideribus cum eo coorientibus tales partus attribuantur, qualibus quaedam cum Octaviano sit similitudo, quis est, quin postulet? Atqui nihil eiusmodi invenitur Astronomicon neque in quarto (243—258) neque in quinto (396—449). An putas principem versari inter fabros, ferarum domitores, piscatores, carnifices, urinatores, eorum similes? Neque ea in re ulla est auctoritas Merkelii, qui propter themata Tiberii et poetae ipsius mores Augusti quoque descriptos se vidisse affirmat. Videlicet is cum Octavianum mense Septembri primam lucem adspexisse apud Suetonium legisset, emendatam a Caesare temporum rationem parum accurate respiciens Librae partus cum Capricorni permutavit. — Nusquam igitur, ut hoc iterum dicam, quo modo Augusti sors e sideribus dependeret, demonstratum est in Astronomicis.

Ergo quoniam nullo modo illius gratiam quaesitam a poeta esse apparet, ne extremo quidem loco facere possumus, quin Octavianum carminis patronum esse potuisse negemus. Sin autem Octavianus non fuit, fuit profecto is, qui illi in imperio successit. Etenim, ut iam in fine alterius capitis posui, quaecunque de hominibus rebusque ab iis gestis apud Manilium

supersunt, ea ad aetatem unius Tiberii aptissime conveniunt. Quod quo manifestius reddam, antequam, quid sentiam de singulorum librorum annis, aperiam, honoris Lachmanni causa etiam aliquamdiu testimonia proferre pergam.

Caput IV.

De aliis Tiberianae aetatis rebus, quae in Astronomicis tanguntur.

Iam incido in mentionem cladis Varianae, de qua cum infesta quaedam cometarum aliorumque ignium aethereorum omina enumerat, Manilius inde a I, 894 haec memoriae prodidit:

„Quin et bella canunt ignes subitosque tumultus
Et clandestinis surgentia fraudibus arma
Externas modo per gentes, — ut foedere rupto
Cum fera ductorem rapuit Germania Varum
Infecitque trium legionum sanguine campos.
Arserunt toto passim minitantia mundo
Lumina, et ipsa tulit bellum natura per ignes
Opposuitque suas vires finemque minata est;
Nec mirere graves rerumque hominumque ruinas:
Saepe domi culpa est; nescimus credere caelo."

Sic lamentari potuisse per se ipsum patet eum solum, qui vel conquerentes maximopere cladem illam paene exitiabilem Romanos animo molliore audiverat vel potius ipse eius calamitatis arbiter fuerat. Dilucet enim singulas per literas recordatio tanti doloris, quanto cum omnes cives tum Augustum affectum esse ferunt, ut diem cladis quotannis maestum habuerit ac lugubrem.[1]) Nostro igitur iure etiam si omina infesta, quibus pernicies illa declinari potuerat, deficiente alio auctore plane ignoramus, ex querelis poetae concludimus vixisse eum atque etiam scripsisse, cum ignominia

---

[1]) Suet. Oct. c. 23.

reipublicae allata in animis omnium inprimis superstitiosorum haerebat.

Neque vero ullo pacto indidem efficitur Astronomicon librum I iam a. U. 762 esse inceptum. Quid enim est probabilius verique similius quam infelicissimi ducis et amissarum aquilarum memoriam per continuos annos apud omnes viguisse, quoad recuperatis signis proavisque nostris pacatis Germanicus, Tiberii filius, honestissimam pacem confecisset?[2]) Errat igitur Merkelius, cum statuendum esse putat incohasse Manilium Astronomica ante annum Augusti emortualem.

Cuius rei causam eo celerius extenuari, si qua omnino est, videmus, quo magis pacis a poeta (I, 13) laudatae meminimus. — Enim vero mentionem cladis Varianae si Augusto imperante fecit poeta, etiam ad Augustum profecto Astronomica missurus fuisse putandus est. Id enim cogit prooemii natura. Atqui hunc in senectute nihil docui gravius tulisse quam casum Quintilii atque etiam minus pati potuisse talia convicia, qualia memoratis ominibus adiecta sunt. Quod quoniam Romanorum nemo ignoravit, sequitur, Octavianum carmine delectare ut poeta noluerit.

At ad Tiberium omni tempore licuit scribere:

„Ne mirere graves rerumque hominumque ruinas
Saepe domi culpa est; nescimus credere caelo!"

Hic enim seditionis opprimendae causa in fines Germanorum missus extemplo animadverterat, ut ait Suetonius (Tib. c. 18) Varianam cladem temeritate et neglegentia ducis accidisse, fortasse etiam consiliis Octaviani praeposteris, quae Tacitus (Ann. I, 55) videtur fatum vocare, adversam fortunam aliqua ex parte habuerat quod adsignaret, indeque ipse sic se gesserat, ut etiam tum Invicti cognomine dignus esset.[3]) Neque vero unquam honestius memoria pugnae in saltu Teutoburgensi commissae repetita est quam a. U. 770, quo ineunte pacatis omnibus infestissimis hostibus Germanicus Caesar triumphavit. Ac tum ipsum quantum ii, qui venturi

---

[2]) Tac. Ann. I, 25. 43. [3]) cfr. M. I, 925. p. 23. Suet. Tib. c. 17.

fati quasi digitos observant, ad gerendas res valerent, probare certe mathematici potuere.

Quid? quod eundem annum denotatum invenimus iis Manilii verbis, quae prima in hoc capite meis apposui:

„Quin et bella canunt ignes subitosque tumultus
Et clandestinis surgentia fraudibus arma
Externas modo per gentes . ."

Inde enim, etiam si quis modo particulae eandem, quae alias nunc voculae, vim esse ob etiam particulam v. 906 subsequentem negaverit, est tamen observandum ad modum conspirare poetam cum historico[4]), qui narrat nobis: a. U. 770 turbatas esse complures nationes Orientis et bellum motum in Africa ac susceptas in se fraudes a ducibus Germanorum. Neque ita multo ante, ut scriptum est v. 906, „civilis etiam motus cognataque bella significari" potuerunt ignibus caelestibus, Inciderunt enim in annum 769 et scelus Libonis Drusi res novas molientis et consilia Clementis servi „discordiis armisque civilibus rempublicam percellere" conantis, unde immanis non tam Tiberio quam civibus terror iniectus est.[5]) Quibus rebus quae fuere tum graviores? Ad quas refertur commodius versus I, 922:

„Sed satis hoc fatis fuerit, iam bella quiescant"?

Atque etiam quaecunque I, 893—95 significantur his verbis:

„Funera cum facibus veniunt terrisque minantur
Ardentis sine fine rogos, cum mundus et ipsa
Aegrotet natura suum sortita sepulcrum"

acciderunt, auctore Tacito, eodem tempore. Nam: „duodecim celebres, inquit ille, Asiae urbes conlapsae nocturno motu terrae: quo improvisior graviorque pestis fuit[6]) neque solitum in tali casu effugium subveniebat in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur „effulsisse inter ruinam ignis" memorant. Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiae traxit" (scilicet inprimis Tiberii). Quibus nun-

---

4) Tac. Ann. II, 1—4. 42. 5) ibid. c. 27. 32. 39. 6) cfr. Suet. Tib. c. 48. et Man. I, 880. 884.

ciatis quoniam omnibus satis literatis pestis Atheniensis, qua Pericles periit, in mentem venit, Manilius et ipse occasionem nanctus est canendi I, 881: corpora

„Corripit exustis letalis flamma medullis
Labentisque rapit populos totasque per urbes
Publica succensis peraguntur fata sepulcris.“

Iam vero eos, qui res a Tacito traditas memoria custodiunt, simul quando prima Astronomicis manus accesserit quaerentes valde delectabit ea legere verba, quae ante descriptionem pestilentiae sunt:

„Nunquam futilibus excanduit ignibus aether
Squalidaque effusi deplorant arva coloni
Et steriles inter sulcos defessus arator
Ad iuga maerentes cogit frustrata iuvencos.“

Neque enim secus atque ea, quae antea in nostrum usum converti, rebus anni Urbis 770 accommodantur: victus dico angustias, quae tum in nonnullis orbis terrarum partibus fuerunt. Certiores enim ille Annalium scriptor nos facit undique eo tempore venisse legatos provinciarum, qui de exactis vectigalibus gravioribus conquererentur: Syriam atque Iudaeam, fessas oneribus, deminutionem tributi orasse; fructibus Cappadocum levatum esse centesimae vectigal; alias quoque Asiae civitates levari tributis placuisse mittique ex senatu, qui praesentia spectaret refoveretque. Nec dubium esse potest, quin talis pecuniae inopia orta fuerit maxime ex sterilitate agrorum, quoniam poeta ipse Syriam (IV, 624) perustam esse testatur. Adde quod a. U. c. 768 continuis imbribus accidit ingens Tiberis inundatio eamque secuta est aedificiorum et hominum strages ac nimirum nescio quot in annos aratio deserta. Qua re miseriam rusticorum ut foris sic prope Romam cum animadvertere licuerit, querelas apud Tiberium frequentissime certe auditas nonne Manilius suis verbis repetere videtur?

An probaturis hoc nobis opus est demonstrare singulas quas dixi a. U. 770 res caelestibus ominibus esse significatas? Immo, hoc dignum mehercle est lucubratione anicularum sive

capucini illius, quem Schiller apud Valenstenianos orationem habentem inducit; at nos, quippe qui superstitionibus obnoxii non simus, missis praesagiis decet acquiescere in eo, quod poetae verba veris a. 770 rebus perbene respondere ostendimus. Inde enim effectum est, ut suspicio ea, quam quidem de libro carminis I tanquam sub illum annum scripto semel atque iterum ac saepius movimus, non modo denuo exsistat verum etiam mirum in modum crescat, nec deest spes fore aliis rebus perspectis, ut etiam proprius accedat suspicio ad probabilitatem eamque pedetemtim consequatur.

Transeo nunc ad thema Tiberii, quod in Astronomicis, dum Augustus iam Divus suo loco in oblivione iacet, accuratius exspectatione descriptum exstat. Quod antequam quaeramus, ad illum principem poscimus, ut quaedam pertineant ex iis, quae de partubus Scorpii ac Sagittarii ab astrologis eduntur; etenim Neronis filius teste Suetonio (Tib. c. 5) natus est a. d. XVI Kal. Dec. (a. U. 712), cui diei post emendatam a Caesare temporum rationem praefuerunt, cum equidem astronomiae parum peritus Mommseno (in chronol. Rom. p. 305 n.) fidem habeam, extremae Scorpii partes iamque, nisi fallor, primae Sagittarii. Iamque id, quod volumus, quaerentibus in propatulo est, si quidem aptissima sane ad depingendam Tiberii sortem videntur ea, quae sunt apud Manilium in libro IV, 553—565:

„Scorpius extremae cum tollet lumina caudae,
Si quis erit stellis tum suffragantibus ortus,
Urbibus augebit terras iunctisque iuvencis
Moenia subcinctus curvo describet aratro,
Aut sternet positas urbes, inque arva reducet
Oppida et in domibus maturas reddet aristas:
Tanta erit et virtus et cum virtute potestas.
Nec non Arcitenens prima cum veste resurget,
Pectora clara dabit bello magnisque triumphis
Conspicuum patrias victorem ducit ad arces;
Altaque nunc statuet nunc idem moenia vertet.
Sed nimium indulgens rebus Fortuna secundis
Invidet in facie saevitque asperrima fronti."

Haec verba ut explicemus, demonstrare quanta bellica in

Tiberio virtus fuerit, omnibus haud ignorantibus opus non est. Nec secus notae sunt constitutae eo auctore praecipue in nostris finibus coloniae. Hoc vero unum adnotandum est: etiam quaecunque poeta de saeviente Fortuna posuit, perbene ad faciem convenire Tiberii, quoniam ea de re Suetonius (Tib. c. 68) posteritati prodidit: „Colore erat candido, capillo pone occipitium submissiore, ut cervicem etiam obtegeret, quod gentile in illo videbatur; facie honesta: in qua tamen crebri et subiti tumores, cum praegrandibus oculis . . . Valetudine prosperrima usus est, tempore quidem principatus paene tota prope illaesa." Eademque verba nobis quidem puto gravissima esse, utpote quibus talis res notetur, qualem post Tiberium aliorum quoque principum genitore Sagittario fuisse nesciamus. Namque in reliquis nihil prorsus inest, quod in solum Tiberium valeat, multis urbes condentibus delentibusve atque ex bellis triumphantibus.

Itaque assentientem me non habet Jacobus, cum in programmate Lubecensi (p. 7) Tiberium sic defendit, ut dicat: „In myriogenesi Nepae eas tantum, quas extrema cauda gignat, naturas edocet IV, 553; idemque V, 340 unius Arae mentionem iniicit, quia utrumque astrum ad Tiberium pertinebat . . . Cum autem maioribus laudibus eas genituras efferat, quam apud ullum scriptorem, qui de hac arte egerunt, invenias, nonne proclive erit putare, ob Tiberium celebrandum id esse factitatum? Neque minus ad Tiberium respexisse aio, cum Nepam respectare ad Italiam doceat IV, 781." Ubi quam sententiam ultimam aperuit, ea non est ita conformata, ut versu IV, 781 amorem patriae Tiberio ingenitum significari quasi a limine negem, sed ob ambiguitatem verborum, quae sunt: „Scorpius . . Italiae tamen respectat ad undas" ne id quidem videtur improbabile poetam aequalium prorsus immemorem hoc ipso loco solis artis suae praeceptis obtemperare, proptereaque, ne in argutias incidam, hunc locum praeterire malim. — Deinde cum ceteros versus, quos Iacobus proposuit, ipse inspicies, sperans fore ut peculiares Tiberii mores ostendantur, frustra oculos intendes, ut plura quam

fortitudinem vel sacerdotii honorem invenias. Non autem sufficiunt eae res ad insigniendum illum principem, atque etiam minus opportune de eo dicuntur, quae sunt a. V, 345 de Arae clientibus:

„Quid potius fingent ortus quam templa colentis
Atque auctoratos in tertia (!) iura ministros
Divorumque sacra venerantis numina voce,
Paene deos et qui possunt ventura videre“

si quidem Suetonianum illud: „Circa deos et religiones neglegentior“ de eodem valet. Et ne insigni quidem modo neque Scorpii neque Arae geniturae memorantur neque ea in re quidquam differt dicendi genere a narratione quae est de siderum partubus reliqua, nisi forte opinione praeiudicata auditur. Disseritur etiam pari verborum copia de primis Tauri sideribus, de capite Leonis, de prima veste Arcitenentis, de acumine caudae Capricorni. Quid igitur „maioris laudis“ est in eo, quod poeta de extrema Scorpii cauda quaedam exponit? Qui tandem inde Tiberii recordatio nascitur? Nonne alius quoque cuiusdam ducis mores ad Nepam referri potuere? — Ara autem, a qua pontificem maximum, quem fuisse Tiberium constat, originem ducere Manilius nullo verbo docet, aliquanto difficilius accommodatur illi principi quam Arcturus, cuius sideris cum Sagittario simul coorientis dona in V, 359—364 sic explicantur:

„quo tempore natis
Fortuna ipsa suos audet committere census,
Regalis ut opes et sacra aeraria servent
Regnantis sub rege suo rerumque ministri
Tutelamque gerant populi domibusve regendis
Praepositi curas alieno limine claudant.“

Quae verba legentibus statim venire possunt in mentem quaestura et praetura ceterique urbani magistratus, quos teste Suetonio (Tib. c. 9) Liviae filius et maturius incohavit et paene iunctim percucurrit; verum tamen hoc ipso loco, ut consuetudo fatidicorum fert, omnia in ea obscuritate et dubitatione iacent, ut Tiberium praesentem non agnoscamus. Itaque Iacobus quidem

eum monstrare quamvis volebat non potuit. — Ceterum quoniam in enumerandis siderum genituris omnibus orationis aequabilitati satis operae dedit et, quod equidem sciam, si exceperis Libram, de qua postea accuratius videbimus, ne unum quidem sidus ulla laude insignivit, quid est, cur poetam aliis scriptoribus[8]) conferamus? An Iacobus pervestigavit eum, cuius exemplum omnibus numeris exprimendum Astronomicon auctor sibi proposuit? Qua in re etiam O. Gruppius frustra mihi videtur omnes nervos contendisse, cum nuperrime Varronis disciplinarum librum VI a Manilio versibus inclusum esse probare studeret.[9])

Quae etsi ita sunt, non tamen dubium existimo, quin Tiberii thema in Astronomicon quarto illo quem ostendi loco supersit. Non est enim consentaneum Manilium, ut fatalem omnium rerum necessitatem in ignibus caelestibus sitam coargueret, ab aequalibus, quorum casus clarissima verae doctrinae exempla esse possint, ad priores discessisse. Atqui si iam (p. 9) constat, Augusto saeculo vixisse poetam, tum quidem nemo et faventibus Scorpione nec secus Sagittario cum Arcturo triumphavit et, saeviente non modo telo Arcitenentis verum etiam cauda Nepae Fortuna, facie laesus fuit praeter Tiberium. Ad hunc igitur referenda videntur, quaecunque sideribus illis astrologus attribuit. Ac quoniam Augustum in simili honore haberi non licet, profecto necesse est ut supra concludas quartum quidem Astronomicon librum compositum esse post mortuum Octavianum.

Quo denuo probato me sequere sis in locum, quem inprimis Merkelius nec non Iacobus frequentaverunt. Est enim eiusdem libri inde a vs. 763 compositus his verbis:

„Virgine sub casta felix terraque marique
Est Rhodos, hospitium recturi principis orbem
Tumque domus vere Solis, cui tota sacrata est,
Cum caperet lumen magni sub Caesare mundi.“

Hac in carminis parte, ubi auctor orbem terrarum per

---

8) Cfr. Germ. Arat. 393—413. 9) Hermae vol. XI, p. 235—39.

sidera disposuit, homines docti obscuris versibus ita aliquid lucis afferre solent, ut eum Caesarem, qui orbem terrarum Rhodi recturus fuisse solisque instar mundum illustrasse dicitur, Tiberium esse affirment: hunc enim iussu Augusti coactum inde ab a. U. 748 usque ad 755 in insula Phoebo sancta sedem obtinuisse. Quod si Manilii verba quid velint recte intellegunt, hinc efficitur, ut tum, cum Astronomicon librum IV ille composuit, Tiberium aliquando imperium a patre accepturum iam nemo ignoraverit. Quam ob rem statuendum est, tractata esse themata quaeque cum eis cohaerent post annum 757, quo mortuis C. et L. Caesaribus rei publicae causa Octavianus Liviae filium heredem fecerat.

Primum autem Iacobus minus recte sic[10]) ratiocinatus est, ut talia, qualia de Rhodo apud Manilium leguntur, scribi potuisse negaret nisi multo postquam Tiberius cum patre in gratiam rediisset: „hoc esse, ait, inde consequens, quod Rhodius secessus illi diu invidiosissimus[11]) cum aliqua laude commemoraretur; eo igitur tempore versus hac de re scriptos esse, cum gliscente adulatione neque cives puderet quovis mendacio demulcere principem nec obdurato ore Tiberius curaret, quam abiecto praeesset populo Romano“. Etenim vix apud Suetonium vel apud Tacitum invenias nomen Rhodi ipsum Tiberio fuisse invisum; hoc autem variis locis[12]) cognoscas graviter punitos esse eos, qui ludibrii causa exilii Rhodii memoriam revocaverant. At in gloriationem coram Tiberio eandem sexcenties per diem verti potuisse, hoc ita manifestum est, ut demonstratione non egeat, neque huius rei testem opus est ab Orco excitare Velleium, qui historicus (II, 99) penes Tiberium Rhodi privatam fuisse maiestatem blande narret. Itaque, si quidem omni tempore Tiberio adulatores affuerunt, quot annis post Tiberii reditum Manilius Rhodum tanquam insulam hospitalem celebraverit, confitendum est nullo modo e IV, 764 cognosci. Ac vacillavit ita Iacobus

---

[10]) Progr. Lub. p. 6 et praef. p. 16. [11]) Suet. Tib. 10—13. [12]) Suet. Tib. 56. 59.

ipse, ut a. 1832: laudem illam post Octaviani mortem scriptam, a. 1846: impertiente eam poeta Tiberium in imperio nondum successisse iisdem versibus demonstraret. — Cuius viri posterior opinio vanis argumentis sustentatur. Horum cardo cum in participio, quod est „recturus", solo versetur, nullo negotio effringitur. Licet enim ea verbi forma optimo iure ita uti, ut significetur non is, qui haud ita multo post ad rem publicam accessurus est, sed is, cui Rhodi moranti iam fato destinatum est aliquando imperium submittere. Nam Rhodus nec scribente poeta est principi hospitium nec fuit antea regenti, quod subsequente „tum" particula per se ipsum intellegitur. Quare orationis brevitas a Manilio passim affectata commendat usum participii Futuri, in quo quae insit vis suppleta „olim" particula admodum apparet. — Deinde Jacobi verba: „Praesentis, credo, saeculi felicitatem laudaret (poeta), si iam imperium fuisset adeptus (Tiberius); sed in eius societatem acceptum tum iam fuisse ex his verbis concludas" — quid velint equidem non is sum, qui intellegam. Talia enim posuit proinde quasi praeter ceteras regiones Rhodus insula Tiberio continuae curae fuisset et diuturnum hospitium. — Item pergit hallucinari, ne quid gravius dicam, cum in pagina subsequenti scribit: „In libris primis non semel Tiberium tum in insula Rhodo latitantem Romanisque invisum carpsisse animadverto" idque ut probet, Capricornum Tiberii causa pronum et tortum dici statuit. Quid enim perversius excogitatur quam haec: „Sub Capricorno natus erat Tiberius, invisus urbi, cum primi hi libri scriberentur. Inde ambigue „tortum" (II, 290) i. e. obscurum et dolosum hoc sidus nuncupat. Eodem refero, quod supra similiter alludens „pronum" (II, 253) eum iacere dicebat. In insula Rhodo tunc ille neglectus ab omnibus latitabat." Quo tandem modo intra tredecim annos[13]) Scorpius se vertit in Capricornum? Hoc signum Augusti fuit, non Tiberii.[14]) An cadit in Suetonium subito ac poetam

---

[13]) Cfr. Progr. Lub. p. 7 et ed. p. 57 extr. [14]) Cfr. Germ. Arat. v. 558 et huj. diss. p. 28, 33.

errare? Quin etiam, ut ceteras ineptias merito silentio praeteream, Jacobus eam in suspicionem venit, ut cladem Varianam ante secessum Rhodium accidisse opinari videatur. Non enim explicavit, duae illae sententiae, quae sunt altera (praef. p. 17): Primi libri scripti sunt Tiberio Rhodi exulante neque unquam ultimam manum experti" altera prius (p. 16) iudicata: Primum librum non diu post cladem Varianam finitum dicas." — quanam parte cohaererent. An libros II et III ante primum a poeta putat esse confectos? Haec res inaudita foret in literarum Romanarum historia. An cladis mentionem plus lustro post incohata Astronomica quasi calidam esse insertam? Hoc iudicandi nulla prorsus conceditur potestas.

Itaque, ne multus sim, quod in carmine Tiberii exilium tactum esse conicimus, hoc iis tantum versibus, qui in libro IV de Rhodi felicitate habentur, possumus quodammodo probare. Quanquam quid dico probare? Nonne illo principe alios quoque, qui et ipsi aliquando recturi orbem terrarum erant, insula Virgini obnoxia liberali hospitio accipit? Unum quidem inter omnes constat apud Rhodios versatum esse maiore honore quam maestum illum Liviae filium. Auctore enim Tacito Germanicum novimus suadente patre in Asiam proficiscentem, ut motum Orientem pacaret, cum navem in traiectu ad Rhodum appulisset, hoc loco aliquot dies animum remisisse. Alter autem, Claudius Nero, qui principatum adeptus libertatem Rhodiis ademptam reddidit, videtur eos adiisse, ut ad restituendam Jovis colossum, qui terrae motu conciderat, pecunias afferret. Nam eius quasi alterius Solis in honorem ferunt Antiphilum Byzantinum epigramma conscripsisse, quod inscribitur: Εἰς Ῥόδον τὴν νῆσον, ὅτε Νέρων ἐν αὐτῇ παρεγίνετο διὰ τὸν κολοσσόν.[15]) Atque etiam, quod ad rem plurimum facit, illi de quibus agimus libri quarti versus ratione et morum et temporum habita melius conveniunt Germanico quam Tiberio. Qua re perspecta (erit autem pluribus explicanda postea) illius relegati mentio, quae apud Manilium hominibus doctis adhuc

---

[15]) Jac. progr. Lubec. p. 6.

satis certa visa est, adeo labefactatur, ut tota quae ibi posita est de vivo Augusto argumentatio corruat et ad nihilum redigatur.

Quod effecisse cum nunc quidem satis sit, labefactatam relinquamus, ut spectante Manilio Tiberium imperii gubernaculum tenere etiam aliunde exploremus. Restant enim nonnulli loci, quos monstrare ac perlustrare ab huius capitis natura iam alienum non est.

Primum duco ad IV, 236—237, quibus versibus iungere libuit V, 706—707. Ubi de elephantis scripta haec videmus:

„Cumque elephante loqui tantamque aptare loquendo
Artibus humanis varia ad spectacula molem
(Scil. Centauri partus delectat);
Ille (Ursae partus) elephanta premit dorsa stimulisque monebit
Turpiter in tanto scandentem pondere funes.“

Quae verba si stant, quintum saltem probant Astronomicon librum compositum esse Tiberii aetate. Nam Suetonius in vita Galbae: „Honoribus ante legitimum tempus initis, inquit, praetor commissione ludorum Floralium novum spectaculi genus, elephantos funambulos, edidit“. Hoc autem factum est, nisi omnis annorum ratio fallit, cum Galba diem obierit septuaginta duos annos natus a. U. 822, multo post mortem Octaviani. Sed fatendum est elephantos funambulos non apparere in carminis libris manu scriptis sed perductos esse a Bentleio, cui bestiae turpiter in tanto pondere cunctis cedentes parum (apud Manilium) probabiles visae erant, neque vero pariter ac Merkelio omnibus placuisse. Velut Jacobus nullo reclamante Manilio sine dubio literis quibusdam a librariis fraudato elephantum punctis cedentem restituendum esse censuit. Qui cum poetae satisfacere celerius videatur quam funambulus non sine omni vi incedens, singulis artibus ceterarum bestiarum (V, 702—710) non enumeratis nescio an maiorem Jacobo, qui elephantos funambulos prius comprobatos ipse misit, fidem habere debeam. Itaque non iuraverim in verba eorum, qui in variis spectaculis IV, 237 etiam exercitia

schoenobatica fuisse pro vero affirmavere. Non tamen abest suspicio, quin Astronomicon auctor quondam in elephantis, utpote quos eximiis laudibus efferat, artem plane inauditam fuerit admiratus. Quin etiam, quamvis emendationem Bentleianam tanquam violentam respuamus, concedendum est fieri potuisse, ut Manilius ante quam libros IV et V componeret, nisi Romae, alias tamen elephantos per funes ingredientes spectaret. Exponemus enim infra eum multum in itinere fuisse atque eo pervenisse, ubi bestiae illae nascuntur. Nullo tamen modo elephanti quonam anno a Manilio gloriam ceperint, nobis V, 707, ut voluit Merkelius, significatur.

Quibus missis pergo ad alium locum, quo usi posteriores quidem Astronomicon libros referamus ad aetatem Tiberii. Est autem in prooemio libri IV. Ubi (vv. 1—13) tanta cum sinceritate ac severitate poetam deprehendimus conquerentem de avaritia aequalium et luxuria, ut plane a fide abhorreat ea sententia, qua Lucretii Horatii Gratii Ovidii ut aliis rebus sic querela exempla imitari tantum voluisse incusetur. At rectius agent, quicunque talia extrinsecus mota fuisse ac referri quasi populi vocem censebunt. Quod nisi fuisset, mirum sane esset, poetam semel iterum saepius tamque graviter invehi in homines praeter modum profusos, velut v. 375:

„Atque haec (aucupatio) in luxum; iam ventri longius itur
Quam modo militiae. Numidarum pascimur oris
Phasidos et lucis.“ [16])

Itaque vix errabis, si poetam finges lamentantem eo tempore, quo luxus coercendus civibus fuit in optatis. Anno autem 769 in senatu saepe multa in luxum civitatis dicta esse obstante principe testatur Tacitus[17]), ita ut decerneretur: ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent neve vestis Serica viros foedaret. Nec secus consules a. U. 775 animadverterunt in luxum, qui immensum, ut ait Tacitus, proruperat ad cuncta, quibus pecunia prodigitur. Alia enim sumptuum, quamvis gra-

[16]) IV, 263, 396—405; V, 195, 293. [17]) Ann. II, 33; cf. Man. IV, 396—399, V, 293; deinde Ann. III, 52; tum II, 44.

viora dissimulatis plerumque pretiis occultabantur, ventris et ganeae paratus assiduis sermonibus vulgati erant.“ Iamque a. 770 Tiberius Drusum filium in Illyricum misit, ut iuvenis luxu urbano lasciviens in castris melius haberetur et militiae adsuesceret. Cui prope modum quasi ex ore ereptum videtur Manilianum illud (IV, 404):

„Luxuriae quoque militia est“.

Qualia posteritati quoniam prodita sunt, audacioris animi non existimo esse ex his coniectare de tempore, quo Astronomicis finis fere impositus sit, atque statuere librum IV post a. U. 769, V ante a. 780 esse confectum.

Quod ut suspicer, haud minus commoveor eo loco, quem postremum Jacobus in quaestionem non sine fructu vocavit. Reperiebat enim is inde a V, 510, cum de partubus Cassiopeiae legebat, non in foliis, quibus Bentleius Astronomica arte critica castigata mandavit, sed in exemplis manu scriptis haec verba:

510. „Hinc Augusta nitent sacratis munera templis
511. Et Mithridateos vultus induta tropaea,
512. Aurea Phoebeis certantia lumina flammis,
513. Gemmarumque iubar, radiantes lucibus ignes.
514. Hinc Pompeia manent veteris monumenta triumphi
515. Et quod erat regnum, pelagus fuit, una malorum
516. Non exstincta lues semperque recentia flammis.“

Quorum versuum posteaquam ordinem a librariis valde depravatum ita emendavit, ut v. 511 post v. 516 et v. 515 post v. 543 collocaret, posito pro „lues“ „acie“ vocabulo, haud inepte, ut alias saepe, de vs. 514, 516 disseruit[18]) in hunc modum: „Pompeia monumenta, quae semper recentia flammis dicuntur, de theatro Pompeio interpretor, quod igne fortuito haustum se exstructurum Tiberius pollicitus est, quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen Pompei nomine, ut ait Tacitus (Ann. III, 72). Nam quod id opus Tiberius imperfectum reliquit, nihil poetam impedire potuit, quominus hanc in eum laudem poetarum more conferret. Factum id autem est

[18]) Praef. p. 16 et ed. p. 187.

a. U. 775. — Acie vox bella civilia significat, quae theatro nihil obfuerunt; etiam flammis non semel absumptum est.“ Addere poterat Jacobus, Suetonii (Tib. c. 47) verba ut aliqua parte constringeret, ex Annalibus (VI, 45), ubi de Tiberii parsimonia mentio est: „Ne publice quidem nisi duo opera struxit: templum Augusto et scenam Pompeiani theatri, eaque perfecta contemptu ambitionis an per senectutem haud dedicavit.“ Quae opera quo anno perfecta essent quamquam Tacitus narrare oblitus est, tamen non solum id, quod Jacobus monumentis Pompeianis statuit, ratum habeo, verum etiam templum Augusti, quod ille dixit, a Manilio et ipso memoratum agnoscere mihi videor in versibus, quos supra adscripsi, V, 510, 512, 513. Facilius enim animo fingo eundem artificem et theatrum Pompei renovasse et templum Augusti publice exstruxisse exstructumque rebus quam pretiosissimis ornavisse, favente, ut credit poeta amicus, Cassiopeia, cuius sidere natus esset.

Qua ratione versus, qui nunc ante oculos sunt, si opera Jacobi recte explicavi — quod esse confido, quoniam saeculo Augusto de priore theatri incendio nullam apud rerum Romanarum scriptores memoriam repperi — hoc sane manifestissimum videtur, extremam quidem Astronomicon partem pertractatam esse non ante a. U. **775.** Quo eodem tempore, ut ad priora redeam, etiam novissimum illud spectaculi genus a Galba editum fuisse veri est simillimum. Itaque nisi aliae res officiunt, haud commoti mera acerrimi ingenii verecundia nostro iure aditum in carminis fines dare possumus elephantis funambulis a Bentleio ductis. Cuius rei occasionem multo aegrius adipisceremur, nisi versus V, 515, 516 ab illo proscriptos Jacobus opportunissimo quemque loco servasset sciteque, ut puto, in integrum restituisset, praesertim cum Bentleius nepos Manilium tempore Augusti floruisse ex avunculi commentariolis cognovisse se scripserit.

Sed iam tempus est terminare hoc quaestionis caput, quod ne amplius grandiusve reddiderim vereor. Inde utinam denuo cognoveris principis loco Tiberium, non Augustum cultum esse

ab Astronomicon auctore. Quo concesso in promptu tibi manebunt etiam notae quaedam annorum, quae hic illic in carmine ipso adhuc apparuerunt, moxque aliis inventis continget, quae spes me quidem iam tenet, ut singulis Astronomicon libris quaenam sit aetas accuratius multorum exspectatione definiam. Propterea nolim neglegas superesse quaedam in primo, quae ad annum 770, in quinto, quae ad a. 775 haud incommode referantur.

Caput V.

De genere dicendi Maniliano.

Quo quisque regnantis Tiberii anno Astronomicon liber compositus sit priusquam eiusdem aetatis aliis carminibus comparatis aperire studeam, ad tuendam unius principis personam reliquum est, ut brevius disseram de genere dicendi a Manilio expresso.

Huius rei quod iam proprium fuisse inter omnes constat, inde Bentleius vel gravissimum repetivisse dicitur argumentum, quo totum carmen Augusti cuidam aequali deberi probaret; verum tamen parum validum, ut demonstravere Fr. A. Wolfius et Jacobus. Remota enim ex indiciorum numero elocutione ipsa, utpote quae peregrinitatem prae se ferret, viri doctissimi nepos cardinem ratiocinationis posuit in adnotatione, quam avunculus addiderat ad Terentii Andriam (II, 1, 20): „Veteres, in quibus etiam Nigidius, in nominibus substantivis exeuntibus in ius vel ium semper genetivum casum i simplici efferebant, nunquam auxilii, consilii, sed auxili, consili. Primus ex poetis, qui hodie exstant, Propertius bis vel ter, Ovidius saepissime et post eum alii omnes geminum ii usurpant: sub Augusti scilicet aetate mutatio illa facta est. Cum igitur Manilius habeat: consilium, auxilium (decem tria omnino id genus verba) nunquam vero consilii, auxilii — licet ceteris casibus obliquis saepissime utatur — omnino concludendum

est, illum vixisse ante hunc inductum morem. Neque enim credibile est eum adeo religiose ab usu horum genetivorum, qui quidem tantas sibi attulissent commoditates, abstinere voluisse, si quidem sibi ex more sui saeculi iis uti licuisset.“ Huius conclusionis Bentleianae primus Wolfius (Anal. lit. I, p. 61) vim infregisse sibi visus est ita, ut excepto vocabuló, quod est III, 92 negoti, a manu Manilii Genetivos ne in simplicem quidem i exeuntes in Astronomicis exstare contenderet, nihil igitur ratione inde deprompta de Manilii aetate criticos assecuturos. Deinde Jacobus (progr. Lub. p. 10) quamvis illius casus exempla non deesse, sed crebra a se reperta esse coarguerit, velut I, 691; II, 211, 560, 569 sagittari I, 795 Claudi II, 232, 464, 505 aquari, non tamen est oblitus addere ne inde quidem Augusteam aetatem effici posse, quandoquidem unicuique vel recentissimo liceret in re minime ignota antiquos sectari. Quod cum omni tempore ita fuerit, a re nobis diiudicanda Bentleii argumentum amovere et ipsi debemus. Ac quoniam in exemplis, quae supra apposui, nimis manifesta est ea necessitas, quae ad metrum conformandum in Genetivis simplicem i literam sibi vindicet, pudet nos aliquid commodi hinc percipere, quod priscae illius Genetivi formae usu scriptores etiam Tiberio se commendare potuerunt. Desiderantur enim eius modi versus, in quibus formam Genetivi recentiorem per numeros usurpare poetael iceat.

Sequitur autem ab aliis partibus Manilius id dicendi genus, quo similius Tiberiano esse satis novimus potuisse nullum. Jam supra ambiguitatem orationis observandi frequenter data est occasio. Idem vitium Tiberii fuisse Tacitus (Ann. XIII, 3) auctor est, apud quem scriptum videmus etiam consulto illum verborum ambiguitati operam navasse. — Certiores vero nos multo de ea re facit Suetonius (Tib. c. 70 et gram. c. 22) sermonem Tiberii peculiarem propriumque in vita eius sic declarans: „In oratione Latina secutus est Corvinum Messallam, quem senem adolescens observaverat. Sed affectione et morositate nimia obscurabat stilum, ut aliquanto ex tempore

quam a cura praestantior haberetur. Sermone Graeco quamquam alias promptus et facilis, non tamen usque quaque usus est. Abstinuitque, ut prius . . . veniam postularit, quod sibi verbo peregrino utendum esset atque censuerit . . . pro peregrina nostratem requirendam aut, si non reperiretur, vel pluribus et per ambitum verborum rem enunciandam.“ Huc addenda sunt, quae idem scriptor antea in vita Octaviani de Tiberio huic dissimillimo posteris non occultavit. „Genus eloquendi Augustum ait secutum esse elegans et temperatum, vitatis sententiarum ineptiis atque concinnitate et reconditorum verborum, ut ipse dixerit, foetoribus; praecipuamque curam eum duxisse, sensum animi quam apertissime exprimere et vitavisse omni modo obscuritatem. Cacozelos et antiquarios ut diverso genere vitiosos pari fastidio ab eo esse spretos nec pepercisse eundem Tiberio exoletas interdum et reconditas vocis aucupanti.“ — Denique maximi hoc quidem loco momenti est, quod Suetonius docuit Tiberio maxime curae fuisse notitiam historiae fabularis usque ad ineptias atque derisum atque venisse interdum heroum in consuetudinem.

Haec igitur Tiberio loquente sunt animadversa: primum vocum peregrinarum pertinax contemptio, deinde verborum obsoletorum usus, tum mira fabularum admixtio, denique egregia sententiarum obscuritas. Neque in alias res easdemque non necessarias nimis magnum studium multamque operam contulit Manilius.

Sunt enim, ut a postremis incipiam, sententiae et brevitate et obscuritate insignes cum per totum opus diffusae tum in fabulis vel historiis illis, quarum carminis ornandi causa miram copiam intextam videmus. Quam rem ut exemplis illustrem, locos tantum, ad quos aditus commodissimus patet, monstrabo; nam nescio an longum sit ante oculos lectorum eos verbotenus singulos ponere. Ducente Merkelio adspicias quaeso si placet, primum I, 755—900, ubi plures res gestae tanguntur quam sunt versus; deinde II, 1—6, 12—17, 25—36, 583 et qui hunc sequuntur, interdum in crassis complura iacent tenebris, quas ad dispergendas opus est facibus eorum, qui quasi antra

regni heroici remotissima penitus iam pervestigavere, velut II, 16: Hesiodus memorat

„Et sub fratre viri nomen, sine fratre parentis;“

tum III, 1—25, IV, 36—68, V, 460—469 poetam eodem modo fabulas vel historias, ut ait clarissimus ille Ovidii existimator, praelibantem et persalutantem habes, quasi canes e Nilo bibunt. Unde ex argumentis tragoediarum multarum unam in paginam coarctatis ut exemplum depromam: „Gaudebunt, inquit, memorare

„Ructantemque patrem natos solumque reversum
Et caecum sine sole diem . .“

Ita constipatis fabularum aenigmatis aegre e miro verborum involucro enucleandis nos passim exercet. Sic factum est, ut a nullo Romano carmina vel ad aditum spinosiora vel ad tractationem aridiora posteritati relinquerentur. Quin caligine oppressi permultis in illustrandis Astronomicon locis docti homines frustra adhuc desudavere, quod iam supra, cum de principe poetae patrono erat quaestio, facile intellegebatur, atque etiam ludibrio ii aliis fuere tanquam si quadam naturae perversitate in hispidis quam in cultis habitare mallent. Est autem consentaneum vel potius oportet, si quis libris suis alicuius gratiam cupiat conciliare, eum nihil habere antiquius quam ut saporem eius, si ita dicere licet, literarium diligentissime observet neque in scribendo ulli rei studeat, nisi qua illum delectet. Quodsi patet Astronomicon auctorem sequi Tiberii iudicium nobis satis notum, nonne hinc denuo probabile reddemus hunc principem fuisse, cuius benevolentiam ille captaverit?

Iam vero quem ad modum genus dicendi progrediente tempore obsoletum redintegraverit Manilius, ita facile ostendam, ut aut nominum aut verborum formas pro auctoritate Ennii sive Lucretii ab illo sublectas in adspectum afferam. Lege igitur si placet: I, 27 clepere — I, 274, 305 cludere — III, 146 apisci — III, 423 didere — I, 88 itiner — I, 427 ollis — II, 726 parti ablativum casum, quem in i literam desinentem decies repperit Jacobus — II, 831 vitai, V, 339 Nepai, genetivum auctore Bentleio poetae restitutum — II, 884 finis, generis fe-

minini vocem — IV, 823 diu i. e. die. Sed haec quidem hactenus, ne mere enumerando vel folia literis expleantur vel tempus frustra consumatur. Etenim licet plus sexcentis mehercle testimoniis possim probare Astronomica praecipue Lucretiani carminis ad similitudinem esse composita maximeque in docendis rebus saepenumero simplicitatem Lucretii propriam affectatam, satis tamen est paucis demonstrasse poetam eum, cuius aetatem anquirimus, tali dicendi genere usum esse, quale quidem Tiberium cacozelum illum et antiquarium summo amore amplexum esse nobis compertum est. — Quodsi huius in vestigiis oratoriis cum totum per carmen incedere Manilius non dubitaverit, qua tandem ratione efficitur, ut patrocinio Augusti tanquam ab illo expetito fides nascatur? Unde poeta in spem potuit venire obscuram obsoletamque orationem ei fore oblectamento, qui ab omnibus nihil vehementius posceret, quam ut apertissime et consuetudini convenienter dicerent? Necesse fuit carmina cognoscenda daret ad eum, qui apud Latinos sicut peregrinis hominibus ita soloecismis suis civitatem tribuere cuperet. Longe vero propensissimum ad Astronomica legenda vel etiam remuneranda fuisse Tiberium clarius luce foret, si ex ipsius operibus, quam oratio redoluisset antiquitatem in illo carmine hic illic conspicuam, perciperemus. Atqui dolemus nihil ex iis superesse nisi orationes verbis Tacitinis[1]) expressas, quae ad rem nihil faciant. Itaque Suetonii in auctoritate acquiescendum nobis erit.[2])

Perinde, quam arcte inter scribendum Manilius ad sermocinantis Tiberii consuetudinem se accommodaverit, inde apparet, quod praeclarus inter poetam et principem consensus est de Graecis verbis Latinae linguae inferendis. Identidem enim deprehendimus astrologum veniam postulantem, sicut Augusti successor apud senatum consuevit, quod patrii sermonis egestate vocabulo peregrino uti cogatur. Quae res etiam si ab exemplo Lucretiano (I, 830) originem ducit, simul tamen haud dubie

---

1) Ann. III, 6, 53; IV, 37. 2) Suet. gram. c. 22. — Cfr. Charis. p. 124.

Tiberii sensui blandituri fuere id genus versus, quibus se ipsum aegre ferre usum Graecorum nominum poeta indicat. Ex his in medium proferre lubet nonnullos:

II, 693: Perspice nunc tenuem visu rem, pondere magnam
Et tantum Graio dignari nomine passam.
II, 829: inter Graias horoscopus editur urbes
Nec capit externum, proprio quia nomine gaudet.
II, 897: Daemonien memorant Grai — Romana per ora
Quaeritur in versu titulus.
III, 40: Et si qua externa referentur nomina lingua,
Hoc operis, non vatis erit; non omnia flecti
Possunt et propria melius sub voce notantur.
I, 333: Grais ophiuchos nomine dictus.
I, 446: Quae notia antiqui dixerunt sidera vates.

Conferas sis etiam II, 888—909, 916, 937, III, 162, 190, IV, 818, V, 546. Quos versus ubi primum adspectu dignatus eris, vix te fallet Graecorum vocabulorum excusationem a poeta quaeri ac contextui carminis inseri non ideo, quod Lucretianam orationem propositam ad imitandum habeat, sed ut consilium quoddam ad praesens spectans perficiat. Nec negabis si non manifestum, probabile tamen esse eum, a quo carmina sua legi vult Manilius, valde taedere sermonis Latini Graecis vocibus exornati, neque huius rei famam ad poetam pervenisse ita multo ante quam librum secundum incohaverit. Neque enim usquam in primo petit, ut is qui carminibus suis operam daturus sit, etiam externa in iis verba benigne accipiat, sed venia ab eo non implorata saepe res graece nuncupat, velut I, 565, 268, 331, 353 alias. Hoc autem fastidium de Octaviano memoriae proditum invenitur apud nullum eius rerum scriptorem; e contrario Suetonius (Oct. c. 71, 87, 99) accedit testis, qui principem hunc doceat magis aequo consuevisse inter latine et loquendum et scribendum a Graecis non modo vocabula verum etiam totas sententias mutuari. Tali igitur coram homine sive Divo haud opus fuit poetam quaecunque verba cotidiano usu vel aliis astrologiae auctoribus tunc parum commendata viderentur, etiam mirum in modum — velut II, 897. III, 40 — excusatione necessitatis defendere. — Qua in

re ne hoc quidem nos habet admirantes, quod poeta, cum nominum quidem externorum — si modo librarii recte tradidere — externas formas saepius ponere non dubitet, quod apparet ex I, 268, 774, IV, 764, 801, 804, ad significandas tamen artis astrologicae notiones verba a Graecis ad hoc inventa usurpare veretur. Hanc enim ipsam dubitationem allatam voluisse Tiberium iam cognovimus e Suetonio. Nam quid pluribus vel per ambitum verborum enunciare potuit ille nisi eas res, quas qui primi inter Graecos tractabant paucissimis sonis denotaverant? Vel hac igitur parte Manilius satisfecisse videtur voluntati Tiberii.

Et quoniam usque quaque ad huius iudicium stilus a poeta ducitur, non praeter ius eum iam adiungemus iis poetis socium, quorum in numero fuisse Germanicum, principis filium, et fortasse etiam Pedonem, quem in elegia quadam ex Ponto (IV, 16, 4) Sidereum vocat Ovidius, constat, neque idem erit segregandus ab iis Tiberii aequalibus, inter quos ingens vetustorum et obsoletorum verborum studium eluxisse Suetonius commemorat, neque ab ea illius temporis hominum factione, quam Ovidius existimante Merkelio in Tristibus (V, 3, 55) strictim attingit hoc disticho:

„Si veterum digne veneror (cum) scripta virorum,
Proxima non illis esse minora reor“.

Sic si recta in ratiocinando progressi sumus, Manilianum dicendi genus, quippe quod ab Octaviani approbatione plane abhorreat, et ipsum argumentum est, quo Astronomicon auctorem regnante Tiberio exstitisse omnibus persuadeamus.

Iam pariter magno usui fore puto aliud e re metrica repetitum, in qua tanta sane ille versatus est arte, quanta maior Ovidio ipso non excepto in Latinorum scriptorum numero apud neminem spectatur. Cuius existimator nostra quidem aetate peritissimus, Lucianus Mueller[3]), quod ceteros poetas versuum elegantia paene superasset, Manilio palmam decernere non dubitavit graviusque quondam invectus est in Jacobum

---

[3]) De re metr. p. 52, 216, 221, 317, 320, 324 al.

ut metrica vitia Astronomicis temere inferentem. Illi autem, qui acriore sensu maioreque iudicii acumine in examinandis poetis floreat, nos quidem ultro credimus, cum Anonymum eum, qui quo tempore Musis sacra tulerit nunc anquiritur, una cum altero Anonymo haud minus obscuro, quem Homerum Latinum nominare solemus, fuisse statuat[4]) inter eos, qui oppressa populi libertate Tiberio omni modo adulantes maxima vitae commoda se paraturos sperarent. Etenim hoc tempore deficientibus rebus sublimibus dignisque quae versibus mandarentur facillime sine dubio nasci potuit illud artificum genus, qui metricarum legum in acerbitate praestantiam suam positam esse putarent. Et quamquam hic non est locus ad exponendam Manilii artem, quae quidem in Astronomicis conspicitur, opportunus, tamen dicendum est omnibus in versibus inde ab initio esse eandem neque a poeta primo tironum more exerceri, deinde magis excoli, denique omnibus numeris absolvi. Tale profecto iudicium — hanc enim fidem Jacobo[5]) habere nescio an liceat — valet ad tractandam materiam, cuius quo diutius fontes exhaurit poeta, eo dulciore liquore quasi nos recreet. In metrica vero re tam perfectus e schola in publicum prodit, ut optimis quibusque magistris discipulum se ad ingenium conformandum usum esse passim prae se ferat. Neque ipse nobis putandus est hexametri artem, quam incohavit post Catullum Propertius, promoverunt Tibullus et Vergilius, perfecisse talem, ut iucundius non possit cogitari singulis. Nimis enim, cum ad Astronomica scribenda aggreditur, flore fruitur iuventutis tantoque animi ardore, ut huic carmini totam per vitam omnem operam navare secum constituat eoque consilio motus prooemio libri I (vv. 114—118) hanc precationem interponat:

„Faveat magno Fortuna labori
Annosa et molli contingat vita senecta,
Ut possim rerum tantas emergere moles
Magnaque cum parvis simili percurrere cura".

---

[4]) Philol. XV, p. 481, 492. De re metr. p. 52, 329, 333. [5]) Praef. p. 16 extr., progr. Lub. p. 13, 14.

Quibus rebus perspectis quem ad artis metricae doctorem eum se applicuisse manifestius est, quam ad Ovidium, quem Muellero iudice plerique posteriorum poetarum metro accentuque imitati sunt? Neque enim est credibile neque ulla ratione demonstratur hunc ab illo superbo animo fuisse despectum, quod ex Ovidii Ibide cognovisse sibi visus est Merkelius. Cuius rei quae ille attulit indicia vel argumenta, multo longius sunt repetita, quam quibus nobis persuadeat intercessisse Ovidio cum Astronomicon auctore, qui Ibis vocaretur, gravissimas inimicitias et simultates. At multo facilius est, quod posthac palam fiet, Ovidium ipsum probare, quisquis Astronomica composuerit, ei praebuisse exemplum non magis metricae quam adulatoriae artis, cuius nos propemodum piget non tam in Fastis quam in Tristium libris epistolisque e Ponto missis. Unde quando quidem sanae mentis erit concludere, Astronomica incepta esse non ante quam Ovidiana illa opera inter familiares ceterosque poetae studiosos pervulgata essent, rursus illa certis imperantis Tiberii annis assignabimus.

Quam ad rem priusquam transeam, nunc, quia in Manilianum dicendi genus inquirimus, possum persequi poetae auctores, qui quo tempore floruerint simulac satis compertum erit, ipsum suos ad annos revocemus. Quoniam autem non modo primum carminis librum post cladem Varianam, post annum igitur U. 762 scriptum esse ex ipso apparet, sed totum carmen ineunte Tiberii principatu confectum esse, quocunque modo adhuc poteram, demonstravi, primum ad percontandam accuratius Astronomicon aetatem nihil expedit, quod nobis in promptu est ingens indiciorum copia, qua Manilium maximopere e Lucretii libris, qui sunt de rerum natura, modo leges, quibus inter componendum obtemperaret, modo elocutiones derivasse coarguam. Nam hic Romanorum poetarum princeps iam a. U. 699 vita decessit. Deinde futilia sunt et hoc loco in cassum relabantur, quibuscunque splendide probamus partes agere in Astronomicis etiam Varronem, Vergilium, Horatium, alios, si quidem ante 762 clari fuere. Item cave quaeso poscas, ut et mediocria Nigidii fragmenta a Merkelio (Ov. Fast. p. 185)

collecta et Hygini libros Astronomicos a nebulone quodam perperam, ut credo[6]), excerptos tanquam reliquias fontium, e quibus Manilius doctrinam suam hauserit, pluris aestimem. Hunc Hyginum a nostra quaestione removendum esse censeo, quamvis in II, 25—38 animi iudicium sua sponte eo propendeat, ut Astronomicon auctori bibliothecarium Augusti, quo omni disciplinarum genere, inprimis genealogia et astronomia, instructiorem[7]) se praebuisset, eo notiorem fuisse existimem. Quotienscunque enim eius opera attentis oculis volvi, nihil unquam mihi in conspectum venit, ex quo illorum quoque auctoritate innisum Manilium esse efficiam: nec modo non singularum doctrinae partium compositione sed ne ordine quidem enumeratorum siderum, ne quid dicam de verborum sententiarumve similitudine, alter hodie ad alterum accedit. Ceterum de Hygini aetate nihil prorsus certi traditum video. Itaque clarissimos illos quos dixi homines ad quaestionem de Manilii scribentis tempore institutam testes producere vetamur.

Atque etiam spes nostras fallet Astronomicon libri II exordium, in quod nunc legentium animos paulisper convertam. Ibi enim primis L versibus de nonnullis poetis inde ab Homero et Hesiodo nobilibus ita enarratur, ut extrema quidem oratio ad aequales Manilii descendere videatur. Nemo nominatim memoratur, omnes tamen verbis satis definitis significantur. Agnosces igitur in II, 25—38 Aratum eiusque et auctores et interpretes, inprimis Eratosthenem mythographum, quem in libris de astronomia latine expressisse dicitur Hyginus (cfr. fab. 14), deinde in versibus 39—42 Theocritum, qui egregium Bucolicorum specimen Vergilio praebuit. Tum (v. 43) poeta se vertit ad Latinos solos, ut opinor, his verbis:

„Ecce alius pictas volucres et bella ferarum,
Ille venenatos anguis, hic nata per herbas
Fata refert vitamque sua radice ferentis,
Quin etiam tenebris immersum Tartaron atrum
In lucem de nocte vocant orbemque revolvunt.“

[6]) Cfr. Bursianus in Fleckeis. Ann. 93, p. 773. [7]) Suet. de gram. c. 20.

Sed tamen primum, qui sunt ex hoc numero novissimi versus, eos quidquam in nostram causam tuendam momenti habere praefacte denegandum est. Spectant enim sine dubio ad Appium[8]), qui librorum auguralium scriptor et psychomantiorum conditor cognitione rerum absconditarum cum Figulo coniunctus iam a. U. 706 diem obiit, eiusque assectatores, quorum vitas omnino ignoramus, ita ut nobis quidem quaerentibus quid post a. 762 vel potius 770 ad Manilium referendum sit, nihil profecto respondeant. Nec maius nobis commodum affertur ex iis verbis, quae leguntur de serpentibus et de herbis. Nam, nisi forte omni interpretandi ratione caremus, accipi ea necesse est de Aemilio Macro, quem Vergilii amicum memoriae tradidit Ovidius, cum scriberet ex Ponto (Trist. IV, 10, 43):

„Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo
Quaeque necet serpens, quae iuvat herba, Macer";

atque auctor Catonianorum distichorum laudat his hexametris praefationis libri II:

„Quod si mage nosse labores
Herbarum vires, Macer has tibi carmine dicet".

Hic autem poeta cum a. U. 739 (cfr. Hieron. ad a. Abr. 2001) in Asia mortuus sit, facta de eo mentione Manilius ipse nihil amplius testatur quam Astronomica se scripsisse post a. circiter 735, quod, ut ipsius verbis utar, solum novisse parum est.

Plus vero cognoscere nobis quidem licet ex altera parte versus 43, qui est:

„Ecce alius pictas volucres ac bella ferarum".

Hac enim iam a. 1600 Scaliger[9]) a Manilio Gratii carmen, quod inscribitur Cynegetica, significari coniecit, cui assensus est a. 1832 R. Sternius in praefatione critica, qua editionem Gratii et Nemesiani instruxit. Deinde Jacobus totum illius

---

[8]) Cic. Tusc. I, 16. 37 de div. I, 58. 131. [9]) Cfr. castig. in Man. p. 113, ubi pictas volucres refert ad 'Ορνιθογονίαν Macri, quem supra commemoravi.

carminis argumentum breviter explicari et quasi thema auctoris adumbrari invenit his versibus V, 197—205:

„At Procyon oriens . . . arma creatis
Venandi tribuit: catulos nutrire sagacis
Et genus a proavis, mores numerare per urbes
Retiaque et valida venabula cuspide fixa
Lentaque contextis formare hastilia nodis,
Et quodcunque solet venandi poscere cura,
In proprios fabricare dabit venalia quaestus.“

Praeterea quasdam sententiarum verborumque similitudines inter venandi magistrum et astrologum intercedere haud difficile est exemplis demonstrare ita, ut alterum alteri cognitum fuisse appareat. Iam accedit, quod non dubitatur, quin et ipse Ovidius cum Tomis scribebat (ex Ponto IV, 16, 34):

„Aptaque venanti Gratius arma daret“

iam ante oculos habuerit Cynegeticorum versum 23:

„Carmina et arma dabo venanti et persequar artes
Armorum.“ . . .

Quodsi eam epistolam, qua haec Gratii verba tanguntur, missam esse Romam vix ante a. U. 769 primum satis inter omnes constat, deinde non improbabile est, — neque enim video, quod contra afferam — in Astronomicis II, 43 „bella ferarum“ ad Falisci carmen venaticum esse referenda, haec duo argumenta necessario sic concluduntur: eodem fere tempore, quo Ovidius incidit in memoriam carminis Gratii, Manilius potuit incohare Astronomicon librum II. Hic autem annus fuit iam tertius a decessu Octaviani. Revocamur igitur ad eam aetatem, qua totum carmen compositum esse adnuente Lachmanno probare volumus. — Verum tamen hoc inventum tenere nostra minime interesse liquet. Cum enim Gratius (Cyneget. v. 313) nullam rerum sive ab Augusto sive a Tiberio gestarum respexisse videatur nisi Aegyptiaci regni ruinam, quoto post hanc rem anno Cynegetica in manus et usum amicorum venerint, deficientibus aliis testibus nemo est qui dicat. Id autem non est ignorandum, si quando Manilius sidera canere coeperit, iuvante Gratio ostendere iubemur. Atque etiam si quis huius rei gnarus adesset, iudicaret autem hoc accidisse ante cladem Varia-

nam vel ante mortem Augusti, quem tandem ad modum nobis usui esset? Iam enim quaestionis ratio postulat, ut quorum annorum otium imperante Tiberio in Astronomicis conficiendis M. consumpserit exquiramus. Propterea Gratium quamvis equidem thema eius adspiciens e familiaribus Manilii fuisse opiner, hoc tamen loco, quod de aetate eius nihil grave memoriae prodidit, mittendum esse censeo.

Denique quod consequens esse e II, 37, 38 Merkelius statuit, video levioribus argumentis munitum maleque defensum. „Vivente, inquit, Augusto librum II scriptum esse indicio sunt versus 37, 38:

„Quorum carminibus nihil est nisi fabula caelum
Terrave composuit caelum, quae pendet ab illo."

Haec tanto cum fastidio vix scribere ausus esset Manilius, si praeter Phaenomena ab Ovidio olim scripta etiam Aratea Germanici edita fuissent, quod factum esse brevi post Augusti mortem . . demonstravi." Primum enim quoniam idem alias (de Ov. Fastis § 6) ad persuadendum apte probavit, Germanicum Aratea edidisse non ante a. 770, nequaquam cogimur ita ratiocinari, ut a Manilio Astronomicon librum II vivente Augusto compositum esse existimemus. Cuius mortem plus duo anni secuti sunt, per quos sub Tiberio Germanici opus non modo ignotum sed ne absolutum quidem fuit. Hi autem ad scribenda tota Astronomica etiam suppeditavere. Deinde etiam posteaquam Germanicus Arati interpres exstitit et (Arat. 31, 166, 264) de variis illius fabulis dubitationem movit, illos quos supra dixi versus condere fas fuit. Non enim est necesse II, 25, 26 accipi de omnibus illius aetatis poetis, qui

„Astrorum . . . varias dixere figuras
Signaque diffuso passim labentia caelo";

rectius vero, ne dicam hoc ipsum necesse esse, referuntur ad eos solos, qui Eratosthenem Hyginumque secuti sidera (v. 27)

„in proprium cuiusque genus causasque tulere",

eaque in re hominum casibus caelum completum esse statuere. Horum enim quod quasi scelus esse Manilius (v. 37) duxit, id dubito, num commiserint Aratus atque ii, qui huius carmina ad verborum fere latine reddidere, velut Cicero Cinna Varro

Ovidius Germanicus: Solensis ille quidem, cuius lectione apud Romanos nihil fuisse videtur frequentius[10]), miram caelestium virium notitiam habens quamquam ad salutem mortalium quid sidera valerent iam intellexisse putandus non est[11]) tamen more Epicuraeorum terram a caelo pendere nunquam negavit, atque quam fabularum copiam ille carminibus suis adspersit, ea Manilius velut I, 323, 325, 336, ne ipse quidem abstinuit. Qui si in Aratum iuvenesque eius studiosos verba quasi fastidium spirantia coniceret, simul se ipsum accusaret, quod facere non potest. Itaque cum ad explicandos versus II, 37, 38 arcessendi sint non Germanicus sed ii poetae, quorum opera astrologica usque ad nos non pervenere, ab hac quoque parte tempus id, quo Manilius ad Musas se contulit, crassis occultatum et circumfusum tenebris iacet. — Redeat igitur oratio, unde — heu iam longius — deflexit, lucemque petat ad illustrandam poetae vitam ab iis, quorum scripta Astronomicis simillima speciem aetatis Tiberianae apertius prae se ferunt. Supersunt autem duo tantum, quantum equidem video, Ovidius et idem Germanicus, quem modo ex iniquo loco ablegavi.

Caput VI.

De carminibus Astronomicon fere aequalibus.

Quoniam Astronomica Manilii pro certo habeo et incohata post mortem Augusti et confecta imperitante Tiberio esse, carminis libris suum cuique annum adscripturus auctoribus huius rei circumspectis ex Ovidio, quem primum mihi subvenire iussi, non oportere arbitror me quaerere, quando Manilio iuveni et Metamorphoses et Fastos priores miserit. Id enim illum iam fecisse ante, quam accepta clade Variana ineunte anni 762 auctumno expelleretur, veri est simillimum. Hoc autem temporis

[10]) Merk. Ov. Fast. p. 87. [11]) Cfr. Schaubachius in Erschii et Gruberi Encycl. V, p. 103.

vestigium minime quadrat in ullum eorum, quae alia via antea nobis obtigere. Verum tamen si quis*) probatum esse velit, poetam, de quo agimus, illa Ovidii opera non solum legisse sed quantum potuerit, in suum usum contulisse, huic testimonia, quae eo pertinent optima, proponere non dubito.

In Metamorphoseon exordio inde a XV, 751 descriptam legimus apotheosin C. Julii Caesaris additasque ad hanc maximas Octaviani laudes. „Praecipue Caesarem, inquit poeta, in sidus novum stellamque comantem vertit sua progenies; neque enim de Caesaris actis

Ullum maius opus, quam quod pater exstitit huius.
. . . hoc praeside rerum
Humano generi, superi, favistis abunde.
Ne foret hic igitur mortali semine cretus,
Ille deus faciendus erat.
816. Hic sua complevit, pro quo Cytherea laboras,
Tempora perfectis quos terrae debuit annis.
Ut deus accedat, caelo templisque locetur,
Tu facies natusque suus.
832. Pace data terris animum ad civilia vertet
Iura suum legesque feret iustissimus auctor
Exemploque suo mores reget inque futuri
Temporis aetatem venturorumque nepotum
Prospiciens prolem sancta de coniuge natam
Ferre simul nomenque suum curasque iubebit,
Nec, nisi cum senior similes aequaverit annos,
Aethereas sedes cognataque sidera tanget;
semper Capitolia nostra forumque
Divus ab excelsa prospectet Julius aede!
850. Stella micat natique videns bene facta fatetur
Esse suis maiora et vinci gaudet ab illo.
Hic sua praeferri quamquam vetat acta paternis,
— fama — invitum praefert.
858. Sic et Saturnus minor est Jove. Juppiter arces
Temperat aetherias et mundi regna biformis.
Terra sub Augusto. Pater est et rector uterque.
Tarda sit illa dies et nostro serior aevo,
Qua caput Augustum, quem temperat, orbe relicto
Accedat caelo faveatque precantibus absens.[1])

---

*) Respice p. 9 extr. [1]) Cfr. Ov. Trist. II, 1. 39. 147; V, 1. 49

Talia nunquam scribi potuisse nisi vivo Augusto per se ipsum patet; nec tamen minus facile tanto cum sententiarum tum verborum concentu tibi persuadebis ea lecta gliscente in dies magis etiam Tiberii adulatione in hunc celebrandum Manilium transtulisse, ubi primum iis comparaveris illa, quae sunt in Astronomicis (I, 6—8, 384, 798):

> Tu, Caesar, patriae princepsque paterque,
> Qui regis Augustis parentem legibus orbem
> Concessumque patri mundum deus ipse mereris.
> Cetera non cedunt; uno vincuntur in astro
> Augusto, sidus nostro quod contigit orbi,
> Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor.
> Veneris ab origine proles
> Julia descendit caelo caelumque replevit,
> Quod regit Augustus socio per signa Tonante.
> Cernit et in coetu Divum.
> rector Olympi (scil. de Octaviano).

Atque etiam huius carminis scriptorem intelleges ab Ovidii blanditiis, quae ad Caesarem, Augustum, Tiberium spectant, profectum ita longius processisse, ut avi partes patri, patris filio daret, iisdem saepe verbis usurpatis. Velut ille exstante Horatii exemplo, quod supra tetigi, aperte dicit Augustum esse, quemadmodum Jovem totius mundi, ita terrarum rectorem ac patrem; at hic iactare non veretur eundem socium per signa Jovis et ipsum rectorem Olympi.

Denuo igitur probamus iuvante Ovidio: Manilium semper reminisci Divi Augusti, quam ob rem Tiberius esse debet, quem cognomine dei appellet. Etiam hoc prior Ovidius (Met. XV, 838, 839) praecepit versibus, quibus Tiberium oraculi instar edit insita ab avo dei natura parem annis Octaviano cognata sidera esse tacturum.

Item quisquis Astronomica scripsit, haud pauca deprompsit e Fastis. Unde ad ea, quae modo ex illis sumpsi, protinus adiunguntur ista verba II, 127—132 (637):

> Sancte pater patriae, . . .
> . . . iam pridem tu pater orbis eras.
> Hoc tu per terras, quod in aethere Juppiter alto,
> Nomen habes. Hominum tu pater, ille deûm.

et III, 151—154, ubi Caesar ob rationem temporum emendatam laudatur:

Non haec ille deus tantaeque propaginis auctor
Credidit officiis esse minora suis,
Promissumque sibi voluit praenoscere caelum
Nec deus ignotas hospes inire domos.

ad quae conferas sis ex Astronomicis III, 115, 116:

Quis caelum possit nisi caeli munere nosse
Et reperire deum, nisi pars ipse deorum est?

Alii loci, quibus Manilius cum Ovidio conspirare videtur, sunt:

1) Fast. I, 17: Da mihi te placidum, dederis in carmina vires
Astr. I, 10: Das animum viresque facis ad tanta canenda
2) F. I, 297: Felices animae, quibus haec cognoscere primis
Inque domos superas scandere cura fuit.
A. I, 25: (Mundum) primum interius licuit cognoscere terris
Munere caelestum.
v. 40: Et natura dedit vires seque ipsa reclusit
Regales animos primum dignata movere
IV, 390: Quod quaeris, deu sest. Conaris scandere caelum
Fataque fatali genitus cognoscere lege.
3) F. II, 123: Deficit ingenium maioraque viribus urgent.
A. III, 1: In nova surgentem maioraque viribus ausum
Ducite Pierides.
4) F. IV, 17: Causae diu patuere dierum
A. I, 70: Dies suis poterant discernere causis.
5) F. IV, 857 et A. I, 925 iam supra (p. 24) comparati sunt.
6) F. VI, 5: Est deus in nobis
24: Mens quoque numen habet.
A. II, 107: Animum in unum
Descendit deus atque habitat ipsumque requirit.
IV, 895: Exemplumque dei quisque est in imagine parva.
7) F. VI, 8: sacra cano
ibid. 709: Sum tamen iuventrix auctorque ego carminis huius
M. I, 30: Tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti,
8) F. VI, 811: doctae assensere sorores
A. II, 49: doctae cecinere sorores

9) F. VI, 269—280 et M. I. 167—181, ubi dum de media terrae statione exponit, alter poeta alterius verbis sua adsimulat.

10) F. I, 217 (cfr. Trist. I, 5, 7) census, quod verbum Manilius etiam saepius pro „divitiae" ponit.

Etiam plura in libris et Metamorphoseon et Fastorum, si validiore memoria praeditus Astronomicis operam dederis, reperies, quae in Astronomicis quoque sunt, talem speciem prae se ferentia, ut ab Ovidio solo neque ab aliis didacticis poetis, qui Lucretio magistro floruerant, ficta esse videantur. Unde consequens esse dicas, ut Astronomica post illa Ovidii opera exstiterint.

Sed non video, cur ea, quae ante principatum ad Tiberium delatum in lucem prodiere, perlustrem, si quidem, quae aetas Manilii carmen tulerit, aliunde planius apparet. Plus profecto conducet ad eam inveniendam praeteritis Tristibus et Halieuticis atque Ibide, quo in carmine vix tres versus Manilianis aliqua parte similes video, animum paulisper nos attendere in epistolas ab Ovidio e Ponto datas, quas maximam partem anno Augusti emortuali recentiores putant esse.[2]) Quarum in lectione adeo, ut mente retineret, Manilio placuisse consentaneum est inprimis:

I, 1, 47: Locum date sacra ferenti
2, 73: Caesar . . . deus omnia norit
2, 125: Qui vicit semper victis ut parcere posset
Clausit et aeterna civica bella sera
6, 37: Carcere clausi
III, 1, 125: Qua (uxore) nihil in terris ad finem solis ab ortu
Clarius excepto Caesare mundus habet
1, 135: domus Augusti — plena pacis erit
3, 88: patriae magne ducisque pater (scil. Tiberi, Germanici pater)
6, 23: Principe nec nostro deus est moderatior ullus:
Justitia vires temperat ille suas
9, 124: Tu (scil. Auguste) nostras audis inter convexa locatus
Sidera . . . preces.

---

[2]) Cfr. Teuff. hist. lit. rom. §. 245, 2.

Perveniant istuc et carmina forsitan illa,
Quae de te misi caelite facta novo

13, 23: laudes de Caesare dixi.
Nam patris Augusti docui mortale fuisse
Corpus in aethereas numen abisse domus.

deinde

II, 5, 27: Ingenioque meo vena quod paupere manat
Plaudis et e rivo flumina magna facis
Ausus sum tantae sumere molis opus,
Obruit audentem rerum gravitasque nitorque
Nec potui coepti pondera ferre mei.

III, 4, 93: Deus est in pectore nostro,

II, 8, 57: Felices illi, qui non simulacra sed ipsos
Quique deûm coram corpora vera vident,
Quod quoniam nobis invidit inutile fatum,
Quos dedit ars vultus effigiemque colo.
Sic homines novere deos, quos arduus aether
Occulit, et colitur pro Jove forma Jovis.

His ex distichis ei, qui Astronomica scribebat, alia praesto fuisse credes, ut primum tibi in mentem redierint laudes illae, quas in Divum Augustum eiusque heredem ab isto poeta congestas iterum ac saepius ostentavi. Quo quae alia spectare non possunt, ne ea quidem hunc iuvenem ignorasse verisimile fortasse duces, propterea quod similibus fere verbis modo idem modo contrarium dicere videbitur me afferente versus hosce:

A. II, 8: Homeri — ex ore profusos
Omnis posteritas latices in carmina duxit
Amnemque in tenues ausa est deducere rivos.

I, 20: Bina mihi positis lucent altaria flammis,
Ad duo templa precor, duplici circumdatus aestu
Carminis et rerum.

II, 136: Haec ego divino cupiam cum ad sidera flatu
Ferre nec in turbam nec turbae carmina condam.

IV, 886: An dubium est habitare deum sub pectore nostro?

906: Homo . . caput victor . . ad sidera mittit
Sidereosque oculos propriusque adspectat Olympum
Inquiritque Jovem nec sola fronte deorum
Contentus manet et caelum scrutatur in alvo.

915: faciem caeli non invidet orbi
Ipse deus vultusque suos corpusque recludit
Semper volvendo seque ipsum inculcat et offert,
Ipse vocat animos nostros ad sidera mundus
Nec patitur, qui non condit, sua iura latere.

E postremo isto loco praecipue conicies conscium sibi fuisse Manilium, quantum in perscrutanda fati natura deorumque Ovidius eiusque similes a semet ipso superarentur. — Quodsi ab epistolis Ovidii Ponticis eorum, quae ex Astronomicis citavi, verborum origo legitime trahenda est, illae autem in unum coniunctae prius quam anno U. c. 770, quo scriptor mortuus esse dicitur (cfr. Hieron. ad a. Abrahae 2033), aegre circumferri potuerant, usque ad hoc tempus Astronomicis tractandis primam auctoris manum omnino defuisse nonne omnes ad unum facile credent? An reperietur, qui nobis persuadeat iuvenem poetam, de quo quaestio est, iam tum locum obtinuisse inter eos, quorum quod inedita cura est, ut ait Ovidius (in ep. ex Pont. IV, 16, 39), adpellandorum nil mihi iuris adest? Certe sive Manilium in exsulis huius amicissimis numerabis sive Merkelium secutus infestissimis insidiatoribus adiungere audebis, nulla erit causa, cur ei epistolas Ponticas, unde nonnullos fructus perceperit, post mortem Octaviani plurimas traditas esse neges. Assecutus igitur hac quoque via, quae ab Ovidio patet, sum, quod ex animi sententia identidem iam supra inveni: Manilii carmen deberi aetati Tiberianae.

Potest autem annus U. c. 770 ut Astronomicon natalis eiusdem Ovidii opera ita muniri ac defendi, ut commenticium eum et futilem esse neminem iam dicturum confidam. Quod effecturo mihi redeundum est ad Fastos, quorum refingendo corpori, primo tantum libro absoluto, auctor videtur immortuus esse. Demonstravit enim quam luculentissime Merkelius carmina illa, ut ad Germanicum si in Asiam venisset mitteret, Ovidium retractare coepisse ineunte vere anni 770. Perbene autem congruunt de pace quae in primo Fastorum exstant cum iis, quae in primo Astronomicon legimus quaeque Fr. Jacobus olim in progr. Posnan. a. 1830 p. 9 sic illustravit: „Somniabant

homines et Augusti aevo et sub Neroniani imperii principio post finitum siderum decursum auream illam aetatem, naturae dona largissima, perpetuam mortalium pacem, morum honestatem, denique beatissima reditura otia.“ Haec pax quin advenerit, Ovidius non dubitat, cum scribit ad Germanicum:

I, 67: (Jane) dexter ades ducibus, quorum secura labore
Otia terra ferax, otia pontus habet.
I, 281: Pace (inquit Janus) fores obdo, ne qua discedere possit,
Caesareoque diu nomine clusus ero.
Pax erat et vestri, Germanice, causa triumphi:
Tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas.
I, 711: Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades et toto mitis in orbe mane.
Dum desint hostes, desit quoque causa triumphi;
Tu ducibus bello gloria maior eris.
I, 701, 2: Gratia dis domuique Tuae, religata catenis
Iam pridem vestro sub pede bella iacent.

Neque Manilius, nisi in eandem opinionem discessisset, aut in prooemio posuisset:

„Iam propiusque favet mundus scrutantibus ipsum
Et cupit aethereos per carmina pandere census,
Hoc sub pace vocat“

aut in fine libri I:

„Sed satis hoc fatis fuerit; iam bella quiescant.
Atque adamanteis discordia vincta catenis
Alternas habeat frenos in carcere clausa“.

Atque etiam ex his extremis versibus intelleges, quam conspirent non modo sententiis sed etiam hic illic verbis Ovidius et Manilius. Pax autem, quam celebrant, vix alia esse potuit, ut Merkelius docte ostendit, atque illa post proavos nostros a Germanico domitos. Namque nullum tunc alium hostem fuisse Tacitus testatur in Annalibus II, 26 et bellum pro confecto acceptum esse ibidem c. 41. Ante pacatos Germanos vix unum annum constat fuisse sine gravi bello. Sequitur, ut priusquam exeunte anno 769 neque Ovidius neque Manilius in spem pacis venire aut eam ut praesentem carminibus decantare potuerint. Primum igitur Fastorum librum, quem nomine Caesaris Ger-

manici ornatum vides, ante annum 770, quo a. d. VII. Kal. Jun. clarissimus ille dux de multis Germaniae gentibus triumphavit, quis est qui scriptum esse existimet? Quod quoniam nemo nostra aetate facere audet, velim nunquam iam inveniantur, qui priora Fastis Astronomica fuisse statuant! Quin etiam ego, si quid iudicii collocare in meo sensu nefas non est, ad eam opinionem sum propensior, ut retractatum Fastorum librum iam ante incohata Astronomica Manilio in promptu fuisse arbitrer. Non enim multum abest, quin Astronomicon I, 923, 924 e Fastorum I, 701, 702 manasse mihi quidem persuadeam. Cum vero Ovidius aestate a. 770 diem supremum obiisse videatur supremumque poetae opus una cum ceteris bonis relictis Romam esse perlatam veri simile sit, haud scio an statuendum sit primum Astronomicon librum sub finem illius anni esse inceptum. Hoc ipso tempore, quo Germanici pompae spectacula in ore omnium fuere, si Manilium ad canenda sidera se conferentem animo finxeris, nullo iam modo, ut iam supra pluribus exposui, tibi erit admirationi, quod multa carmini cladis Varianae mentio inserta est. Tum demum detrimentum illud, quod cogitare ipsum Romanos antea piguit, iis videri potuit adeo reconcinnatum, ut eius memoria impune redintegraretur. Quae argumenta etsi nulla esse dicas, tamen ad alios annos aberrare prohiberis. Ipse enim Germanicus, apud quem in gratia se ponere Fastis oblatis Ovidius voluit, mihi annum U. c. 770 defensitanti subsidio venit.

In carmine, quod Phaenomena et Prognostica Solensis continens Aratea inscribitur cuiusque alium auctorem (velut Domitianum) pronunciare per auctores[3]) mihi quidem certissimos haud quaquam licet, filius ille Tiberii literatissimus versibus effert eandem sine dubio pacem, quam ab Ovidio et a Manilio collaudatam supra demonstravi. Neque, quamquam in epistola quadam e Ponto ad Suillium data (IV, 8, 73) legimus de Caesare:

„Modo bella geris, numeris modo verba coërces"

---

[3]) Cfr. Teuff. hist. lit. Rom. §. 270, 7.

Merkelio iudice probabile est meminisse eum pacis ante hiberna a. U. 769, quibus positis e Germanorum finibus Romam triumphandi causa redierat. Nam versus iste Ovidianus ita ambiguus est, ut etiam in omne carminum condendorum studium valeat, neque acrius spectat ad Aratea quam ad comoedias Graecas, quas a Caesare compositas esse Suetonius[4]) testatur. Ac ne hoc quidem necesse videtur e versibus Fastorum I, 23, 24:

„Scimus, et ad nostras cum se tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui",

unde nihil prorsus amplius quam et Ovidium et Germanicum arti poeticae vacare cognoscimus, nos efficere, ut illo retractante Fastos hunc iam Arato latine interpretando toto animo se dedisse censeamus. An quod Ovidius in Fastis I, 67 Ianum orat:

„Dexter ades ducibus, quorum secura labore
Otia terra ferax, otia pontus habet",

haec potest esse causa, cur Merkelio concedamus eum ante in Germanici carmine[5]) legisse:

„Si Venus ingressa est spatiosi sidera cancri,
Pacem mundus habet; non ulli corpora soles
Pestiferi incendunt e. qu. s."?

Aliud sentire hunc, aliud illum per se ipsum patet. Hoc tantum sine ulla dubitatione confirmaverim Caesarem armis depositis triumpho de Germanico acto, cum otium diu frustra exoptatum nanctus esset, pace anni 770 ita usum esse, ut cum astronomicis rebus tum Arati carminibus, quae ornatissimis atque optimis versibus, ut ait Cicero, de caelo stellisque composuit, industriam et curam impertiret. Tum denique ad Tiberium, cuius quales essent mores mira pietate sero intellexit, suo iure scribere potuit, quae sunt in carminis prooemio inde a Phaen. v. 5:

„Quantum etenim possent anni certissima signa,
Si non parta quies Te praeside puppibus aequor
Cultorique daret terras, procul arma silerent?"

---

4) Suet. Calig. 3. — Plin. N. H. 8, 42, 155. 5) Breysig. Progn. fragm. III, 89.

Iam quid Aratea ad Manilium eiusque Astronomica pertinent? Quod si quaeritur, vix a veritate recedet, quisquis Manilium dicet, priusquam fati leges in carminis formam redigeret, consilium Germanici exploratum et compertum habuisse. Insignis enim atque inauditus est horum poetarum consensus in praefando: alter hanc rem sic instituit:

„Ab Jove principium magno deduxit Aratus
Carminis; at nobis, genitor, tu maximus auctor
Te veneror, tibi sacra fero doctique laboris
Primitias . . ."

alter initium sumit ab his:

„Carmina divinas artes et conscia fati
Sidera, diversos hominum variantia casus,
(Caelestis rationis opus!) deducere mundo
Aggredior
Hospita sacra ferens
Hunc mihi tu, Caesar, patriae princepsque paterque
Das animum viresque facis ad tanta canenda . . .
(Tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti)."

Quale enim discrimen inde oritur, quod hic principis divini benevolentiam audacius sine ullo circuitu anfractuve captat, ille fortasse signa maiestatis Tiberium aversari non ignorans ad exemplum Ovidii, facta inter principem et Jovem comparatione, eandem gratiam affectat, tale meo quidem iudicio non est ita comparatum, ut consensum eum, quem dixi, sententiarum vel verborum obturbet. Atque etiam manifestius erit iuvenes, de quibus agimus, poetas quadam necessitate inter se coniunctos esse, si legeris apud Germanicum (Phaen. 11, 12):

„Nunc vacat audacis in caelum tollere vultus
Sideraque et mundi varios cognoscere motus",

haecque verba contuleris, quae Bentleio auctore pro fide codicis Gemblacensis sive Veneti Manilius ipse sic scripsit:

„Iamque favet mundus propius scrutantibus ipsum
Et cupit aethereos per carmina pandere census.
Hoc sub pace vacat: iam nunc iuvat ire per altum
Aëra et immenso spatiantem vivere caelo
Signaque et adversos stellarum noscere cursus
Quod solum novisse parum est."

Nonne ipsis verbis Germanici Arati Astronomicon auctor [illegible] videtur? Deinde addere, [illegible] [illegible] At quisquam [illegible] Manilium [illegible] Tiberio [illegible] Germanicum? Cum [illegible] poeta, [illegible] Arati [illegible] Graecum [illegible] Latine [illegible] Germanicus [illegible] Arati [illegible] [illegible] Arati [illegible] [illegible] Manilium [illegible] [illegible] Astronomicon [illegible] [illegible] [illegible] Germanicum Manilius [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ut alterum ab altero divellam et distraham. Qua in re nisi fallor, rectissime nos acturos existimo, si iuvenes illos eodem fere tempore ad suum quemque carmen componendum aggressos esse statuemus, nec per me non licet, in eam sententiam discedas, quam Merkelius alia ratione (p. 56) male defendit, ut Manilium prius quam Germanici Aratea edita essent, in scribendis Astronomicis haesisse dicas. Neque enim, excepto huius operis prooemio, Manilium video per quatuor libros ulla ex parte Germanici versus suis accommodasse. Primum caelestia signa ab eo disponuntur alio ordine atque quem Arati interpres (vv. 24—725) servat; deinde alius alia ratione posituras siderum adumbrat: porro ad ea nuncupanda modo Latinis modo Graecis nominibus usi poetae variando inter se differunt[7]); tum signis uterque non semper easdem fabulas attribuit, atque in quibus alter multus est, alter eas leviter perstringit quorumque fidem Germanicus in dubitationem vocat, eas tanquam veras laudare videtur Manilius[8]), denique quasdam hic enarrat ille silentio praetermittit[9]). Quae vero locutiones poetis communes memoria dignae sunt, has ab aliis, qui priore tempore Arati carmina in Latinum converterant vel de suo opera astronomica confecerant, ambo simul adsumere potuere[10]).

Quinti denique libri Astronomicon auctor exordium sumit a tali sententia, qualis ad redintegrandam Germanici memoriam nescio an maxime idonea sit:

„Hic alius finisset iter signisque relatis
Quis adversa meant stellarum numina quinque,
Quadriiugis et Phoebus equis et Delia bigis,
Non ultra struxisset opus caeloque rediret
Ac per descensum medios percurreret ignes
Saturni, Jovis et Martis Solisque sub illis
Post Venerem et Maia natum te, Luna, vagantem.“

---

7) Arat. 25, 207, 283, 270, 286, 335, 367, 394, 426, 693. Astron. I, 275, 348, 323 (V, 510), 271, 396, 440, 421, 415, 272. 8) Astr. I. 337—340 = Arat. 276. Astr. I, 403 = Arat. 345—355. 9) Arat. 31, 72, 103—146, 157—164, 315—320. Astr. I, 323, 421. 10) Arat. 67. Astr. I, 315 = Cic. de nat. deor. II, 43, 108.

Alius ille quis fuerit si ex me quaero, mihi invito venit in mentem iterum eius, qui Tiberii aetate Aratea scripsit. Quoniam enim horum fragmentis, quae supersunt, fides nequaquam abroganda est, Germanicus in opere suo postremum id egit, ut quid Zodiaci signa planetaeque ad tempestatem commutandam valerent paucis explicaret; de reliquis autem sideribus tacuit fefellitque spes eorum, qui Phaenomena legentes totius caeli speciem adamaverant. Hoc ipsum Manilius, cum quantae qualesque signorum XII vires essent libro IV exposuisset, in extremum poema properans, ut opinor, recordatus est. Quod ne sentiam, quid tandem impedimento est? Nonne recurrere possum ad superiora, quibus librum Astronomicon V vix ante annum 775 scriptum esse probaverim, hisque addere, quod Germanicus anno U. 772 auctumno ineunte mortuus est? Nonne hinc talis conclusio efficitur: Manilius suo carmini finem imposuit multo post quam Germanici carmen confectum et absolutum fuit? Nonne praeterea veri est simillimum, eum, qui primos cuiusdam carminis versus plane cognovisse iudiciis parum ambiguis arguatur, ne ultimos quidem ignorasse? Ita mehercle fieri potuit, ut Manilius Germanico studiorum olim socio imperfectam rationem vitio duceret, neque igitur sine omni probabilitate ad ea, quae supra posui, cogitatione licet haec fingi: „consiliis carminum faciendorum inter poetas communicatis inter componendum nescio quam consulto alter ab altero nihil quaesivit; tum demum, cum Germanici Aratea satis pervulgata — quamquam Suetonius de iis ipsis nihil tradidit — lectitataque fuere, ut vel verba apud alios scriptores furtim ad illa spectantia ab omnibus fere intellegerentur; tum demum, inquam, in exordio extremi Astronomicon libri Manilius vitium id, quod in Prognosticis animadverterat, paucis significavit.“ Quae si tibi quoque verisimilia videbuntur, inde sententiam Merkelii supra tum reiectam tum receptam intra suos terminos coerceas (p. 56. 69). — —

Sed haec omnia quid sibi volunt? Quoniam Astronomicon libris suum cuique annum quasi natalem adscribere in animum induximus, quid iam iuvat docere librum V aetate poste-

riorem quam Aratea esse, si aliunde (p. 43) certiores temporis numeri nobis suppeditantur? Ultra pacem, quam ab Ovidio Germanico Manilio aequis deinceps laudibus ita praedicatam ostendimus, ut carmen, de quo quaestionem instituimus, aestatem abhinc anni U. c. 770 superare non possit, nihil prorsus ex his poetis eruimus. Ad coniecturas vero progressi Manilium et Germanicum probabamus eodem fere tempore in facienda astrologica poemata incubuisse, hunc autem cum illo primos tantum sui operis versus sive argumentum consiliumque communicasse, hacque de re in orbem quasi volvebamur, cum Manilium Astronomica perorantem Arateorum memorem propterea dicebamus, quod eum prooemiantem huius carminis gnarum fuisse credebamus. Quid inde redundat ad rem nobis propositam? Quamdiu debilia debilibus ita fulcire, ut uno adempto omnia ne corruant periculum sit, in animo est? — Haec ac similia quisquis iam me interrogaturus est, ei mea sponte confiteor modo me significasse cogitationes eas, quae cum animum meum subiissent, inde nova de Manilio et, quantum equidem scio, inaudita suspicio coorta est. Quae ipsa si conquisitis protinus a me argumentis extrinsecus ita firmari potuerit, ut ad veritatem emergat, cum meliore luce omnia adspergentur tum de singulorum Astronomicon librorum annis non frustra quaeretur. Etenim quas res ad eam corroborandam aptissima esse censeo, ex iisdemsi tibi placebunt, primum facile cognosces, qui anni libros II et IV tulerint, deinde appositis iis, quae supra monstravi, temporis indiciis ratione et via ceterorum quoque librorum aetatis fines efficies, ut satis plane eluceant.

Prius igitur quam de iis, quae hoc capite continentur, iudicium fiat, videamus de recentissima illa suspicione ac de eius probabilitate.

Caput VII.

De Manilio Germanici socio.

Duo iuvenes ubi primum non solum eodem fere tempore eademque in urbe vixisse verum etiam literarum artiumque studio sibi pares fuisse observavimus, haud sane multum abest, quin etiam alterum in consuetudinem alterius venisse cogitemus. Est vero necesse nos tale quid suspicari, si qua ex parte alter alterum non sine cura respicere videtur. Ac iam supra dictum est eam intercedere inter Astronomica et Aratea similitudinem, ut huius carminis si non una omnes, certe primos versus illorum auctorem ante incohatum carmen suum perbene cognovisse coniciendum sit. Deinde crescens illa suspicio num aliis locis contra veritatem repugnaret perscrutanti mihi tot tamque clara, ut opinor, verae rationis signa apparuere ex improviso, ut id, quod esse potuisse initio finxeram, profecto fuisse mox mihi persuaserim. Nunc igitur Manilium dico quondam inter familiares Germanici et domi admirantes et foris comitantes versatum esse.

Erit autem operae pretium huius rei quam optima eligere testimonia. Nam ipsa si stabit, excepto libro V, Astronomicis auctorem apparebit inde ab anno U. c. 770 per triennium fere intentum fuisse. Propterea noli admirari iterum me deflectere ad tales res, quales a re proposita in speciem alienae sint. Mox et ipse in spem venies id, quod iam diu moliti simus, nos recta etiam assecuturos.

Et primum quidem de themate, quod vocant, Germanici dico. Id enim quin Manilius quarto carminis sui libro interposuerit, minime dubium esse existimo. Tam apta sunt ad celebrandum illum iuvenem, qui a moribus Tiberii longe diversus civili ingenio miraque comitate unus omnium maxime floruit, haec verba, quibus poeta (IV, 209—212. 548—552) indolem partuum Librae adumbrat:

„Hic etiam legum tabulas et condita iura
Noverit atque notis levibus pendentia verba,

Et licitum sciet et vetitum, quae poena sequetur,
Perpetuus populi privato in limine praetor."
„Felix aequato genitus sub pondere Librae!
Iudex examen sistet vitaeque necisque
Imponetque iugum terris legesque rogabit,
Illum urbes et regna trement nutuque regentur
Unius, et caeli post terras iura manebunt."

Mense enim, cui inde a die XIX Librae signum praeerat, Septembri natum fuisse eum, quem Augustus Tiberio adoptandum dedit, veri videtur simillimum, propterea quod in memoriam patris illum mensem Caligula Germanicum appellavit.[1]) Quae

[1]) Momms. chronol. Rom. p. 305. — Suet. Calig. c. 15. Huic loco simul atque Acta fratrum arvalium ab Henzeno a. 1874 restituta dedita sane opera comparavi, extemplo mihi quidem persuasi Suetonium de nulla alia re narrare nisi de honoribus iis, qui ad dies aut natales aut inferiales spectavere. Idem in vita Oct. c. 100 e voluntate populi Romani docet nomen mensis ob diem natalem viri celebrandi fuisse commutandum. (Cfr. adn. 8.) Quodsi Germanicum mense Octobri mortuum et ossa eius vere a. 773 Romam deportata esse inter omnes constat, sat esse probabile censeo, quod iam Haakhius (in Pauly. encycl. III, p. 838) posuit, in Septembrem mensem incidisse eius natalem hancque extrinsecus fuisse causam, qua Caligula adductus sit, ut Germanicum nunquam principem Julio et Augusto apponeret. Atque huic rationi aliquanto maiorem fidem habendam esse existimo, quam coniecturae illi Henzeni, qua recepta in Actis fr. arv. (p. XLIV et com. p. 52) a. d. VIIII kal. Junias Germanici natalem fuisse credant. Neque enim ea ad Acta a. 40 fundata est in marmore literas maxime necessarias ad unam omnes continenti, sed in folio chartaceo, ut auctor ipse confitetur, valde mutilo hincque videtur in ambiguo relinquendum, in honorem patris an fratris annua sacra institui Caligula iusserit. Nam Suetonius totam Germanici gentem commemorat illo tempore publice honoratam esse atque Acta et ipsa huic rei testimonio sunt. Deinde dubitare licet, Acta a. 40 et 38 rectene altera alteris suppleantur an potius in marmore a. 38 mutilo non de die natali Germanici sed de alio (velut inferiali) mentio fiat. Itaque quamvis ingenium Henzeni magna religione reverear, Actis a. 38, quae paulo ante natalem Divi Augusti habentur, nequaquam dissuadentibus feci cum iis, qui Germanicum Septembri mense natum esse arbitrentur, necdum, quod istud caput in Libra posui, in timorem perveni, ne quis levioris id esse ponderis iudicare possit. — Plura de ea re (cfr. Th. Momms. in Herm. XIII. p. 246) alias et alibi dicam.

vero ad privatum praetorem attinent, ea sine ulla iniuria praedicari potuere de eodem: talia decebant futurum principem, in quo benevolentiam singularem conciliandaeque hominum gratiae ac promerendi amoris mirum et efficax studium fuisse tradunt. Neque aliis tollit Germanicum laudibus Ovidius in prooemio Fastorum, cum scribit (I, 21. 22):

„Quae sit enim culti facundia sensimus oris,
Civica pro trepidis cum tulit arma reis".

Porro idem iure vitae necisque usus est in consulatu, quem statim post quaesturam gessit[2]) Quem honorem priusquam iniret, ad componendum Orientis statum profectus et Armeniae regem devicit et Cappadociam in provinciae formam redegit. Has ad res quid tandem facilius referas quam istos versus:

„Imponetque iugum terris legesque rogabit,
Illum urbes et regna trement nutuque regentur
Unius . . ."?

Insuper accepimus[3]) rogante Tiberio Patrum decreto permissum esse clarissimo illi duci maius imperium quam iis, qui sorte aut missu principis provincias obtinerent. Denique si quis legit:

„et caeli post terras iura manebunt"[4])

haec verba paulo obscuriora quid impedit, quominus ad studia Germanici astrologica collineari a Manilio censeat? quid, quominus ad ea conferat Ovidianum illud (ex Ponto IV, 8. 73):

„Modo bella geris, numeris modo verba coerces"?

Neque secus multa ex iis, quae in quinto Astronomicon inde a vs. 295 de Sagittae Haedi Lyrae genituris habentur, quadrant in Germanici personam, quam rhetoris poetae docti ducis magistratus optimam fuisse Suetonius testatur. Quin etiam quod in eodem libro artem scenicam eiusque ex magistris celeberrimis Menandrum solum miris verbis commemorat, Manilius ad id studio Germanici, qui maximopere Graecas comoedias adamasse atque etiam imitatus esse dicitur, impelli vi-

---

[2]) Suet. Cal. c. 1. [3]) Tac. Ann. II, 43. [4]) De verbo manendi i. e. **standi** inspice sis I, 180. 729; II, 309.

detur. — Quid? quod amicum esse poetam ei, quem tutela Librae et patrocinio uti haud dubie inter aequales observavit, conicere licet e versu IV, 548:

„Felix aequato genitus sub pondere Librae".

Nam praeterea quid invenitur causae, cur ille et Librae partum tali verbo insignem faciat neque reliquorum siderum pupillos felices praedicet?

Iam vero haud temere nescio an suspiceris visum esse a Manilio anno U. c. 770 Germanicum triumphantem et in pompa spectantes captivis spoliis simulacris montium fluminum proeliorum delectantem[5]). Ac iam supra, cladis Varianae mentionem recuperatis aquilis ignominia populi Romani exstincta maxime Germanico honori duci posse, quatenus necesse erat, exposui. Hoc loco adiciendum mihi est, quod poeta quemadmodum Chelarum partum sic eam vicinitatem, unde ille summam sibi gloriam acquisivit, premere solet. Dicit enim Germaniam III, 117 siccam, IV, 692 inter suos partus obstupefactam v. 719 flavam per ingentes partus surgentem, v. 794 feris tantum dignam matrem. Neque vero hoc verborum genere ceteras terrae regiones distinguit. Quare iudicare cogimur datam fuisse ei antea occasionem Germanos ipsos propius spectandi. Tempus autem huic rei opportunissimum fuit, cum illorum victor Urbem intraret. — Sed fortasse ipse quoque Manilius duce Germanico in sedibus Cheruscorum, Chattorum, Angrivariorum quaeque aliae nationes usque ad Albim colebant sive stipendia merens sive animi causa versatus est, ipse asperitatem nostri caeli, difficultatem deviorum, ferociam hominum et bestiarum moleste tulit, ipse in saltu Teutoburgensi oculis conspexit anno septimo post cladem Varianam „graves rerum hominumque ruinas". Hoc quidem pro certo habeo Manilium post triumphum Germanici in comitatu fuisse, quod scire nostra in quaestione plus valet.

Itaque missis coniecturis, quibus indulgens vereor, ne ad nugas ineptiasque effingendas descendam, transeo ad testimonia

---

[5]) Tac. Ann. II, 41.

Merkelio iudice probabile est meminisse eum pacis ante hiberna a. U. 769, quibus positis e Germanorum finibus Romam triumphandi causa redierat. Nam versus iste Ovidianus ita ambiguus est, ut etiam in omne carminum condendorum studium valeat, neque acrius spectat ad Aratea quam ad comoedias Graecas, quas a Caesare compositas esse Suetonius[4]) testatur. Ac ne hoc quidem necesse videtur e versibus Fastorum I, 23, 24:

„Scimus, et ad nostras cum se tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui",

unde nihil prorsus amplius quam et Ovidium et Germanicum arti poeticae vacare cognoscimus, nos efficere, ut illo retractante Fastos hunc iam Arato latine interpretando toto animo se dedisse censeamus. An quod Ovidius in Fastis I, 67 Ianum orat:

„Dexter ades ducibus, quorum secura labore
Otia terra ferax, otia pontus habet",

haec potest esse causa, cur Merkelio concedamus eum ante in Germanici carmine[5]) legisse:

„Si Venus ingressa est spatiosi sidera cancri,
Pacem mundus habet; non ulli corpora soles
Pestiferi incendunt e. qu. s."?

Aliud sentire hunc, aliud illum per se ipsum patet. Hoc tantum sine ulla dubitatione confirmaverim Caesarem armis depositis triumpho de Germanico acto, cum otium diu frustra exoptatum nanctus esset, pace anni 770 ita usum esse, ut cum astronomicis rebus tum Arati carminibus, quae ornatissimis atque optimis versibus, ut ait Cicero, de caelo stellisque composuit, industriam et curam impertiret. Tum denique ad Tiberium, cuius quales essent mores mira pietate sero intellexit, suo iure scribere potuit, quae sunt in carminis prooemio inde a Phaen. v. 5:

„Quantum etenim possent anni certissima signa,
Si non parta quies Te praeside puppibus aequor
Cultorique daret terras, procul arma silerent?"

---

[4]) Suet. Calig. 3. — Plin. N. H. 8, 42, 155. [5]) Breysig. Progn. fragm. III, 89.

Iam quid Aratea ad Manilium eiusque Astronomica pertinent? Quod si quaeritur, vix a veritate recedet, quisquis Manilium dicet, priusquam fati leges in carminis formam redigeret, consilium Germanici exploratum et compertum habuisse. Insignis enim atque inauditus est horum poetarum consensus in praefando: alter hanc rem sic instituit:

„Ab Jove principium magno deduxit Aratus
Carminis; at nobis, genitor, tu maximus auctor
Te veneror, tibi sacra fero doctique laboris
Primitias . . .“

alter initium sumit ab his:

„Carmina divinas artes et conscia fati
Sidera, diversos hominum variantia casus,
(Caelestis rationis opus!) deducere mundo
Aggredior
Hospita sacra ferens
Hunc mihi tu, Caesar, patriae princepsque paterque
Das animum viresque facis ad tanta canenda . . .
(Tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti).“

Quale enim discrimen inde oritur, quod hic principis divini benevolentiam audacius sine ullo circuitu anfractuve captat, ille fortasse signa maiestatis Tiberium aversari non ignorans ad exemplum Ovidii, facta inter principem et Jovem comparatione, eandem gratiam affectat, tale meo quidem iudicio non est ita comparatum, ut consensum eum, quem dixi, sententiarum vel verborum obturbet. Atque etiam manifestius erit iuvenes, de quibus agimus, poetas quadam necessitate inter se coniunctos esse, si legeris apud Germanicum (Phaen. 11, 12):

„Nunc vacat audacis in caelum tollere vultus
Sideraque et mundi varios cognoscere motus“,

haecque verba contuleris, quae Bentleio auctore pro fide codicis Gemblacensis sive Veneti Manilius ipse sic scripsit:

„Iamque favet mundus propius scrutantibus ipsum
Et cupit aethereos per carmina pandere census.
Hoc sub pace vacat: iam nunc iuvat ire per altum
Aëra et immenso spatiantem vivere caelo
Signaque et adversos stellarum noscere cursus
Quod solum novisse parum est.“

Nonne ipsis verbis Germanici Aratea Astronomicon auctor tangere videtur? Deinde addere, tale opus nondum omnibus suis numeris ac partibus arti astrologicae, quae quidem nunc sit, satisfacere eaque de causa novo carmine adiuvandum esse? An quisquam paulo ante Manilium principe Tiberio in publicum prodiit, quem varios stellarum cursus noscere plus iuverit quam Germanicum? Cum priores poetae, quibus Arati opera placebant, ad Graecum verbum Latine reddentes eorum nec vitia ad excultioris artis praecepta emendassent nec virtutes auxissent, Germanicus quidem[6]) fabulas nonnullas Arato plane intactas addidit, quae apud hunc non recte disposita intellexerat in meliorem ordinem redegit, plura quae falsa ab Arato prodita esse ex posterioris aetatis astrologorum libris cognoverat, correxit. Hunc igitur solum Manilii, cum carmini suo prooemium praemitteret, animo obversatum esse opinor, hunc solum cordi fuisse ei, qui in Astronomicis (I, 117) „magna cum parvis simili percurrere cura“ studeret, neque tamen cunctis eius optatis respondisse. Neque enim amplius requirere non potuere, quicunque nutu et arbitrio Tiberii gubernari volebant, praesertim cum hic princeps et ipse non veterum deorum numine sed fato sideribus ab illis insito omnia regi crederet. Hoc fatum a poetis carmina de se cum poscere videretur, iuxta Germanicum Manilius constitit, quem (I, 16):

„. . . impensius ipsa
Scire iuvat magni penitus praecordia mundi
Quaeque regat generetque suis animalia signis
Cernere et in numerum Phoebo modulante referre.“

Ac quemadmodum ille (Phaen. 16) Tiberio supplicat:

„Pax tua tuque adsis nato numenque secundes!“

ita hic deae, qua nulla Augusti heredi potentior visa est:

„Faveat magno, Fortuna, labori“.

Tali intellego vinculo Germanicum et Manilium inter se devinctos fuisse, quod, tanta in prooemiis et Arateorum et Astronomicon similitudine et propinquitate facere non possum,

---

6) Cfr. J. Frey, de Germ. Ar. interpr. p. XXIV.

ut alterum ab altero divellam et distraham. Qua in re nisi fallor, rectissime nos acturos existimo, si iuvenes illos eodem fere tempore ad suum quemque carmen componendum aggressos esse statuemus, nec per me non licet, in eam sententiam discedas, quam Merkelius alia ratione (p. 56) male defendit, ut Manilium prius quam Germanici Aratea edita essent, in scribendis Astronomicis haesisse dicas. Neque enim, excepto huius operis prooemio, Manilium video per quatuor libros ulla ex parte Germanici versus suis accommodasse. Primum caelestia signa ab eo disponuntur alio ordine atque quem Arati interpres (vv. 24—725) servat; deinde alius alia ratione posituras siderum adumbrat: porro ad ea nuncupanda modo Latinis modo Graecis nominibus usi poetae variando inter se differunt[7]); tum signis uterque non semper easdem fabulas attribuit, atque in quibus alter multus est, alter eas leviter perstringit quorumque fidem Germanicus in dubitationem vocat, eas tanquam veras laudare videtur Manilius[8]), denique quasdam hic enarrat ille silentio praetermittit[9]). Quae vero locutiones poetis communes memoria dignae sunt, has ab aliis, qui priore tempore Arati carmina in Latinum converterant vel de suo opera astronomica confecerant, ambo simul adsumere potuere[10]).

Quinti denique libri Astronomicon auctor exordium sumit a tali sententia, qualis ad redintegrandam Germanici memoriam nescio an maxime idonea sit:

„Hic alius finisset iter signisque relatis
Quis adversa meant stellarum numina quinque,
Quadriiugis et Phoebus equis et Delia bigis,
Non ultra struxisset opus caeloque rediret
Ac per descensum medios percurreret ignes
Saturni, Jovis et Martis Solisque sub illis
Post Venerem et Maia natum te, Luna, vagantem.“

---

7) Arat. 25, 207, 283, 270, 286, 335, 367, 394, 426, 693. Astron. I, 275, 348, 323 (V, 510), 271, 396, 440, 421, 415, 272. 8) Astr. I. 337—340 = Arat. 276. Astr. I, 403 = Arat. 345—355. 9) Arat. 31, 72, 103—146, 157—164, 315—320. Astr. I, 323, 421. 10) Arat. 67. Astr. I, 315 = Cic. de nat. deor. II, 43, 108.

Alius ille quis fuerit si ex me quaero, mihi invito venit in mentem iterum eius, qui Tiberii aetate Aratea scripsit. Quoniam enim horum fragmentis, quae supersunt, fides nequaquam abroganda est, Germanicus in opere suo postremum id egit, ut quid Zodiaci signa planetaeque ad tempestatem commutandam valerent paucis explicaret; de reliquis autem sideribus tacuit fefellitque spes eorum, qui Phaenomena legentes totius caeli speciem adamaverant. Hoc ipsum Manilius, cum quantae qualesque signorum XII vires essent libro IV exposuisset, in extremum poema properans, ut opinor, recordatus est. Quod ne sentiam, quid tandem impedimento est? Nonne recurrere possum ad superiora, quibus librum Astronomicon V vix ante annum 775 scriptum esse probaverim, hisque addere, quod Germanicus anno U. 772 auctumno ineunte mortuus est? Nonne hinc talis conclusio efficitur: Manilius suo carmini finem imposuit multo post quam Germanici carmen confectum et absolutum fuit? Nonne praeterea veri est simillimum, eum, qui primos cuiusdam carminis versus plane cognovisse iudiciis parum ambiguis arguatur, ne ultimos quidem ignorasse? Ita mehercle fieri potuit, ut Manilius Germanico studiorum olim socio imperfectam rationem vitio duceret, neque igitur sine omni probabilitate ad ea, quae supra posui, cogitatione licet haec fingi: „consiliis carminum faciendorum inter poetas communicatis inter componendum nescio quam consulto alter ab altero nihil quaesivit; tum demum, cum Germanici Aratea satis pervulgata — quamquam Suetonius de iis ipsis nihil tradidit — lectitataque fuere, ut vel verba apud alios scriptores furtim ad illa spectantia ab omnibus fere intellegerentur; tum demum, inquam, in exordio extremi Astronomicon libri Manilius vitium id, quod in Prognosticis animadverterat, paucis significavit.“ Quae si tibi quoque verisimilia videbuntur, inde sententiam Merkelii supra tum reiectam tum receptam intra suos terminos coerceas (p. 56. 69). — —

Sed haec omnia quid sibi volunt? Quoniam Astronomicon libris suum cuique annum quasi natalem adscribere in animum induximus, quid iam iuvat docere librum V aetate poste-

riorem quam Aratea esse, si aliunde (p. 43) certiores temporis numeri nobis suppeditantur? Ultra pacem, quam ab Ovidio Germanico Manilio aequis deinceps laudibus ita praedicatam ostendimus, ut carmen, de quo quaestionem instituimus, aestatem abhinc anni U. c. 770 superare non possit, nihil prorsus ex his poetis eruimus. Ad coniecturas vero progressi Manilium et Germanicum probabamus eodem fere tempore in facienda astrologica poemata incubuisse, hunc autem cum illo primos tantum sui operis versus sive argumentum consiliumque communicasse, hacque de re in orbem quasi volvebamur, cum Manilium Astronomica perorantem Arateorum memorem propterea dicebamus, quod eum prooemiantem huius carminis gnarum fuisse credebamus. Quid inde redundat ad rem nobis propositam? Quamdiu debilia debilibus ita fulcire, ut uno adempto omnia ne corruant periculum sit, in animo est? — Haec ac similia quisquis iam me interrogaturus est, ei mea sponte confiteor modo me significasse cogitationes eas, quae cum animum meum subiissent, inde nova de Manilio et, quantum equidem scio, inaudita suspicio coorta est. Quae ipsa si conquisitis protinus a me argumentis extrinsecus ita firmari potuerit, ut ad veritatem emergat, cum meliore luce omnia adspergentur tum de singulorum Astronomicon librorum annis non frustra quaeretur. Etenim quas res ad eam corroborandam aptissima esse censeo, ex iisdem si tibi placebunt, primum facile cognosces, qui anni libros II et IV tulerint, deinde appositis iis, quae supra monstravi, temporis indiciis ratione et via ceterorum quoque librorum aetatis fines efficies, ut satis plane eluceant.

Prius igitur quam de iis, quae hoc capite continentur, iudicium fiat, videamus de recentissima illa suspicione ac de eius probabilitate.

Caput VII.

De Manilio Germanici socio.

Duo iuvenes ubi primum non solum eodem fere tempore eademque in urbe vixisse verum etiam literarum artiumque studio sibi pares fuisse observavimus, haud sane multum abest, quin etiam alterum in consuetudinem alterius venisse cogitemus. Est vero necesse nos tale quid suspicari, si qua ex parte alter alterum non sine cura respicere videtur. Ac iam supra dictum est eam intercedere inter Astronomica et Aratea similitudinem, ut huius carminis si non una omnes, certe primos versus illorum auctorem ante incohatum carmen suum perbene cognovisse coniciendum sit. Deinde crescens illa suspicio num aliis locis contra veritatem repugnaret perscrutanti mihi tot tamque clara, ut opinor, verae rationis signa apparuere ex improviso, ut id, quod esse potuisse initio finxeram, profecto fuisse mox mihi persuaserim. Nunc igitur Manilium dico quondam inter familiares Germanici et domi admirantes et foris comitantes versatum esse.

Erit autem operae pretium huius rei quam optima eligere testimonia. Nam ipsa si stabit, excepto libro V, Astronomicis auctorem apparebit inde ab anno U. c. 770 per triennium fere intentum fuisse. Propterea noli admirari iterum me deflectere ad tales res, quales a re proposita in speciem alienae sint. Mox et ipse in spem venies id, quod iam diu moliti simus, nos recta etiam assecuturos.

Et primum quidem de themate, quod vocant, Germanici dico. Id enim quin Manilius quarto carminis sui libro interposuerit, minime dubium esse existimo. Tam apta sunt ad celebrandum illum iuvenem, qui a moribus Tiberii longe diversus civili ingenio miraque comitate unus omnium maxime floruit, haec verba, quibus poeta (IV, 209—212. 548—552) indolem partuum Librae adumbrat:

„Hic etiam legum tabulas et condita iura
Noverit atque notis levibus pendentia verba,

Et licitum sciet et vetitum, quae poena sequetur,
Perpetuus populi privato in limine praetor."
„Felix aequato genitus sub pondere Librae!
Iudex examen sistet vitaeque necisque
Imponetque iugum terris legesque rogabit,
Illum urbes et regna trement nutuque regentur
Unius, et caeli post terras iura manebunt."

Mense enim, cui inde a die XIX Librae signum praeerat, Septembri natum fuisse eum, quem Augustus Tiberio adoptandum dedit, veri videtur simillimum, propterea quod in memoriam patris illum mensem Caligula Germanicum appellavit.[1]) Quae

---

[1]) Momms. chronol. Rom. p. 305. — Suet. Calig. c. 15. Huic loco simul atque Acta fratrum arvalium ab Henzeno a. 1874 restituta dedita sane opera comparavi, extemplo mihi quidem persuasi Suetonium de nulla alia re narrare nisi de honoribus iis, qui ad dies aut natales aut inferiales spectavere. Idem in vita Oct. c. 100 e voluntate populi Romani docet nomen mensis ob diem natalem viri celebrandi fuisse commutandum. (Cfr. adn. 8.) Quodsi Germanicum mense Octobri mortuum et ossa eius vere a. 773 Romam deportata esse inter omnes constat, sat esse probabile censeo, quod iam Haakhius (in Pauly. encycl. III, p. 838) posuit, in Septembrem mensem incidisse eius natalem hancque extrinsecus fuisse causam, qua Caligula adductus sit, ut Germanicum nunquam principem Julio et Augusto apponeret. Atque huic rationi aliquanto maiorem fidem habendam esse existimo, quam coniecturae illi Henzeni, qua recepta in Actis fr. arv. (p. XLIV et com. p. 52) a. d. VIIII kal. Junias Germanici natalem fuisse credant. Neque enim ea ad Acta a. 40 fundata est in marmore literas maxime necessarias ad unam omnes continenti, sed in folio chartaceo, ut auctor ipse confitetur, valde mutilo hincque videtur in ambiguo relinquendum, in honorem patris an fratris annua sacra institui Caligula iusserit. Nam Suetonius totam Germanici gentem commemorat illo tempore publice honoratam esse atque Acta et ipsa huic rei testimonio sunt. Deinde dubitare licet, Acta a. 40 et 38 rectene altera alteris suppleantur an potius in marmore a. 38 mutilo non de die natali Germanici sed de alio (velut inferiali) mentio fiat. Itaque quamvis ingenium Henzeni magna religione verear, Actis a. 38, quae paulo ante natalem Divi Augusti habentur, nequaquam dissuadentibus feci cum iis, qui Germanicum Septembri mense natum esse arbitrentur, necdum, quod istud caput in Libra posui, in timorem perveni, ne quis levioris id esse ponderis iudicare possit. — Plura de ea re (cfr. Th. Momms. in Herm. XIII. p. 246) alias et alibi dicam.

vero ad privatum praetorem attinent, ea sine ulla iniuria praedicari potuere de eodem: talia decebant futurum principem, in quo benevolentiam singularem conciliandaeque hominum gratiae ac promerendi amoris mirum et efficax studium fuisse tradunt. Neque aliis tollit Germanicum laudibus Ovidius in prooemio Fastorum, cum scribit (I, 21. 22):

„Quae sit enim culti facundia sensimus oris,
Civica pro trepidis cum tulit arma reis".

Porro idem iure vitae necisque usus est in consulatu, quem statim post quaesturam gessit[2]) Quem honorem priusquam iniret, ad componendum Orientis statum profectus et Armeniae regem devicit et Cappadociam in provinciae formam redegit. Has ad res quid tandem facilius referas quam istos versus:

„Imponetque iugum terris legesque rogabit,
Illum urbes et regna trement nutuque regentur
Unius . . ."?

Insuper accepimus[3]) rogante Tiberio Patrum decreto permissum esse clarissimo illi duci maius imperium quam iis, qui sorte aut missu principis provincias obtinerent. Denique si quis legit:

„et caeli post terras iura manebunt"[4])

haec verba paulo obscuriora quid impedit, quominus ad studia Germanici astrologica collineari a Manilio censeat? quid, quominus ad ea conferat Ovidianum illud (ex Ponto IV, 8. 73):

„Modo bella geris, numeris modo verba coerces"?

Neque secus multa ex iis, quae in quinto Astronomicon inde a vs. 295 de Sagittae Haedi Lyrae genituris habentur, quadrant in Germanici personam, quam rhetoris poetae docti ducis magistratus optimam fuisse Suetonius testatur. Quin etiam quod in eodem libro artem scenicam eiusque ex magistris celeberrimis Menandrum solum miris verbis commemorat, Manilius ad id studio Germanici, qui maximopere Graecas comoedias adamasse atque etiam imitatus esse dicitur, impelli vi-

---

[2]) Suet. Cal. c. 1. [3]) Tac. Ann. II, 43. [4]) De verbo manendi i. e. standi inspice sis I, 180. 729; II, 309.

detur. — Quid? quod amicum esse poetam ei, quem tutela Librae et patrocinio uti haud dubie inter aequales observavit, conicere licet e versu IV, 548:

„Felix aequato genitus sub pondere Librae".

Nam praeterea quid invenitur causae, cur ille et Librae partum tali verbo insignem faciat neque reliquorum siderum pupillos felices praedicet?

Iam vero haud temere nescio an suspiceris visum esse a Manilio anno U. c. 770 Germanicum triumphantem et in pompa spectantes captivis spoliis simulacris montium fluminum proeliorum delectantem[5]). Ac iam supra, cladis Varianae mentionem recuperatis aquilis ignominia populi Romani exstincta maxime Germanico honori duci posse, quatenus necesse erat, exposui. Hoc loco adiciendum mihi est, quod poeta quemadmodum Chelarum partum sic eam vicinitatem, unde ille summam sibi gloriam acquisivit, premere solet. Dicit enim Germaniam III, 117 siccam, IV, 692 inter suos partus obstupefactam v. 719 flavam per ingentes partus surgentem, v. 794 feris tantum dignam matrem. Neque vero hoc verborum genere ceteras terrae regiones distinguit. Quare iudicare cogimur datam fuisse ei antea occasionem Germanos ipsos propius spectandi. Tempus autem huic rei opportunissimum fuit, cum illorum victor Urbem intraret. — Sed fortasse ipse quoque Manilius duce Germanico in sedibus Cheruscorum, Chattorum, Angrivariorum quaeque aliae nationes usque ad Albim colebant sive stipendia merens sive animi causa versatus est, ipse asperitatem nostri caeli, difficultatem deviorum, ferociam hominum et bestiarum moleste tulit, ipse in saltu Teutoburgensi oculis conspexit anno septimo post cladem Varianam „graves rerum hominumque ruinas". Hoc quidem pro certo habeo Manilium post triumphum Germanici in comitatu fuisse, quod scire nostra in quaestione plus valet.

Itaque missis coniecturis, quibus indulgens vereor, ne ad nugas ineptiasque effingendas descendam, transeo ad testimonia

[5]) Tac. Ann. II, 41.

ea, quibus Astronomicon auctorem cum Germanico iter, quod Tiberius imperaverat, per Asiam fecisse demonstrem. Horum unum iam p. 36—39 in disceptationem vocatum est. Constat enim versibus illis (IV, 763—766), quibus a poeta Rhodus insula mirum in modum celebratur:

> „Virgine sub casta felix terraque marique
> Est Rhodus, hospitium recturi principis orbem
> Tumque domus vere Solis, cui tota sacrata est,
> Cum caperet lumen magni sub Caesare mundi."

Negavimus hoc loco quidquam subesse, quod exilium Tiberii in memoriam revocari indicaret. Compertum autem si nobis est, et ipsum Germanicum voluntate Augusti ad imperium destinatum fuisse eundemque iussu patris in Asiam proficiscentem in insula Rhodo aliquamdiu moratum esse atque ibi, Pisonem inimicum e naufragio cum servaret, civilissimi ingenii specimen dedisse, si deinde ex iis, quae scriptores saeculi Augusti posteris tradidere, satis liquet neminem Caesarem illa aetate in omnes partes aptius lumen magni mundi quam Germanicum dici potuisse, — si haec cuncta refelli nequeunt locupletissimis testibus praesentibus, quid tum? Nonne illos versus, quos iterum interposui, de filio omnibus carissimo accipere malemus, quam de patre, qui in dies magis omnium honestorum odium in se conflaverit? Atqui de summis Germanici virtutibus non solum adulatores consentiunt verum etiam integerrimi morum censores. Necessario igitur consequens videtur, quod modo significavi.

Quodsi furtim Germanicum Rhodum deversum ante oculos legentium ponit, Manilius nonne etiam tali voce ad efficiendam hanc rem elegit, qualis ex ore sociorum audiri solet? Nonne „tum" particula usus animo respicit ad illud tempus, quo ipsi in insula felici quiescere licuit? Velim hoc loco idem atque ego sentias: tum non modo novum habeas testimonium necessitatis, qua Manilium cum Germanico coniunctum fuisse dixi, sed etiam, cur me admonente librum Astronomicon quartum anno U. c. 770 praeterito compositum esse colligas. At ut id tibi persuadeam, opus est te gravius moveri.

Petens igitur[6]) insulam, quae Phoebo sacrata erat, ad Colophona appulsus Germanicus Clarii Apollinis oraculum, quod consuleret, adiise narratur. „Sacerdos Mileto accitus numerum modo consulentium et nomina audit: tum in specum degressus hausta fontis arcani aqua ignarus plerumque literarum et carminum edit responsa versibus . . et ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitium cecinisse". Atque etiam de hoc Phoebi adyto recordari mihi quidem videtur Manilius; neque enim facere poteris, quin miram rerum similitudinem Tacito, qui illius narratiunculae auctor est, cum poeta, de quo agimus, esse agnoscas, ubi primum in prooemio libri Astronomicon II, 53—56 legeris:

„Quaeramus
Undam . . occultis meditantem murmur in antris,
Quam neque durato gustarunt ore volucres
Ipse nec aethereo Phoebus libaverit igni.
Nostra loquar: nulli vatum debebimus ora."

neque si alia itineris vestigia apparebunt aliquanto evidentiora, utrumque scriptorem mentis oculis eundem locum perlustrasse, ut spero, mecum credere recusabis. (Cfr. p. 82.) Quin te quoque praevideo eo progressurum, ut librum illum post exscensionem in Asiam factam scriptum esse conicias. Iam enim in Annalibus (II, 54) legimus Germanicum vere anni U. 771 cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi incitatum, cum ad Ilium navigasset, in huius urbis regione ea, quae varietate fortunae et populi Romani origine veneranda essent, contemplatum esse. Vix igitur dubium est, quin huic duci mentionem patriae Priami gratissimam Manilius putaverit atque, si omnino versus edebat, ad eam frequentandam inclinaverit, nempe si peregrinantis socium eum fuisse recte ponimus. Mutatis autem mutandis sic ratiocinari fas est: poeta si in celebrandis Troiae rebus mire multus est, non sine causa una cum Germanico hanc urbem adiisse arguitur. Atqui videmus eum libri II initium sumere ab Homero patre iisque va-

---

6) Tac. Ann. II, 54.

tibus, qui imitando eum expressere. Idem saepissime in memoriam reducit Troiam eiusque regem celeberrimum cum Hectore, qui fortasse ut Achilles Alexandro, sic Germanico placuit. Pergamus igitur suspicari necessitatem, quam quidem domi inter Germanicum et Manilium intercessisse e carminibus eorum supra coniectavimus, in itinere Asiatico esse continuatam. Quod si opportuno quodam loco usque ad persuadendum confirmari potuerit, non temere, sed quadam cum probabilitate Astronomicon librum II haud ita multo post Ilium relictum incohatum esse statuemus.

Accedit, quod regna signorum caelestium per partes orbis terrarum tam luculenter Manilius describit, quam accuratam harum rerum cognitionem nullo modo adipisci nisi magnis terra marique factis itineribus potest. Optime autem nescio an hoc cogniturus sis, si descriptionem, quae quarto libro continetur inde a versu 585 usque ad 815, totam sive modo versus 671—675 cum enumeratione, quam — ut exemplum dicam — in Fastis inde a IV, 273 Ovidius plerumque intra domesticos otians facere potuit, dedita opera comparabis. Quaecunque regiones ab Illyria usque ad extremos Parthorum fines Germanico peragrandae fuere, eas in Manilii chartis inscriptas poeticis quasi coloribus reperies; at Ovidii ab ieiunitate animum te aversurum confido.

Neque minus nostram ad causam pertinet, quod Astronomicon auctor ad illustrandas suas sententias imagines de itinere repetitas saepius exspectatione carmini interposuit, velut II, 50. 58. 59. III, 26. V, 1. Etenim hinc quoque patet eum, qui incredibili quadam vitae obscuritate ad hanc quaestionem nos allexit, non fuisse in numero hominum semper fere domi otiantium atque etiam superiora simul respicienti mihi tantus venit animus, ut partem Astronomicon eam, quae inter librum I et V exstat, a socio Germanici in ipso itinere confectam esse paene iurem.

Haec res quantopere nobis in exploranda carminis aetate sudantibus blanditur! Prosperrime procul dubio in tractandis rebus caelestibus unus quisque procedere poterat in Oriente,

ubi Jove plerumque sereno incunabula astronomiae posita fuere. In Asia necesse erat poetam, qui de caelo stellisque dicere secum constituisset, in dies magis divino inflari spiritu, quo penitus incitante oratio facili negotio numeris includitur versusque — quam artem Manilii potissimum propriam fuisse inter omnes constat — quasi effunduntur et in locis quoque impeditis bene fluunt. Ecce deinde causam probabiliorem, cur multa in Astronomicis incohatum neque perpolitum carmen coarguant eaque primo impetu iacta iudices; ecce causam, cur saepissime et perspicuitatem orationis et aequabilitatem in libris primis desideres. Defecit profecto poetam, cum Asiae provincias regnaque peragrabat atque semel in Aegyptum se conferebat, tranquillitas illa animi ad rem accurate tractandam maxime necessaria. Eaque tum demum illi rediit, cum mortuo amico in Urbem redux factus multis mensibus intermissis tristissimae huic orbitati solatium invenit. (Cfr. p. 43.)

At dixerit quispiam haec omnia argutius subtiliusque excogitata vel minus certis argumentis confirmata, quam quibus fidem habere homini prudenti liceat. Hoc fortasse recte iudicaret, nisi in quarto Astronomicon locus superesset, unde, quo anno ipse scriptus sit, necessario, ut puto, manifestissimis indiciis cognoscas. — Hoc loco totius argumentationis nostrae quasi cardo vertitur, nobisque dantur ansae, ad quas alligata cetera temporis adminicula per se ipsa infirmiora in unum firmissimumque huius rei columen coniungamus. Quod si quis funditus evertere potuerit, in cassum ac frustra hoc capite me disputasse non impediam quin censeat, neque indigne patiar, ut etiam ex iis, quae supra nova luce illustrasse mihi videor, multa in pristinas tenebras recidant; si minus, quaecunque huic dissertationis parti antecedunt, ea etiam meliore in lumine collocata tibi commendabo. Utamur igitur opportunitate ad controversias dirimendas data. Legimus in eo, quem modo laudavi, libro inde a versu IV, 773:

„Hesperiam sua Libra tenet, qua condita Roma
Orbis et imperio retinet discrimina rerum
Lancibus et positis gentes tollitque premitque,

Qua genitus Caesarque meus nunc condidit orbem
Et propriis frenat pendentem nutibus orbem."

His ex versibus tres primi, qui Romam, quod in Hesperia, regno Librae, condita sit, huic signo imperium orbis terrarum debere ostendant, a consilio nostro, quod quidem ad Germanici et Manilii societatem pertinet, alieni sunt atque ideo tantum ante oculos positi, quo melius versus subsequentes intellegantur. In iis enim aliquamdiu consistendum nobis est. Rursus fiunt verba de Libra, quo sidere Caesarem Germanicum natum fuisse e Suetonio antehac cognovisse nobis videmur, atque etiam a poeta partus quidam illius nomine Caesaris nuncupatur. Cum autem alium Caesarem eadem in sorte fuisse saeculo Augusto plane ignoremus, maxime consentaneum est nos ita ratiocinari, ut illa verba de Germanico solo dicta esse statuamus. Quid? quod nihil, si genituram Chelarum excipias, de hoc duce praedicari potest aptius quam quae versibus IV, 776. 777 continentur. Germanicus profecto condidit orbem. Initio enim anni U. c. 771 per Graeciam eiusque insulas itinere superato cum Asiam teneret, profectus est ad Armenios eisque rege dato perrexit ad Cappadoces, quibus dicionis populi Romani factis exeunte anno amicitiam ac foedus cum Parthis 'renovavit atque omnes eorum res quam optime constituit. Parthorum autem regnum maximis opibus Romano imperio simillimum Manilius versibus libri quarti 674. 675, qui sunt:

„India notitia maior, Parthique vel alter
Orbis et in caelum surgentis moenia Tauri",

vi particulae, quae est „vel", satis dubia ita commemorat, ut sive a Parthis ipsis sive ab Armeniis alterum terrarum orbem possideri intellegamus: Utut igitur est, hoc nullo fere modo dubium esse potest, quin extra imperii Romani fines alter terrarum orbis Germanici opera usus fuerit[7]). Ac propriis mire frenavit idem pendentem nutibus orbem. Nam cum e senatus consulto summam sane potestatem in Oriente haberet,

---

[7]) Tac. Ann. II, 53—58. — Respice p. 41: Astr. V, 376. 377.

usque ad mortem, quae a. d. VI. Id. Oct. (Kal. Antiat.) anno 772 accidit, omnium gentium saluti tanta diligentia prospexit, ut plurimum apud eas auctoritate valeret: omnes habuit ad suum ipsius arbitrium et nutum se accommodantes potius quam absentis principis, qui motum Orientem non posse pacari nisi Germanici sapientia iam pridem sibi persuaserat. Quem ad eventum celebrandum nulla usquam aut brevior aut pulchrior reperitur laus quam in Astronomicis Manilii. Adde quod hic poeta praeter consuetudinem priorum poetarum Parthis, qui voluntati Germanici obsecuti sunt, aliquid gloriae attribuit in eodem quarto libro versibus 803. 804:

„Magna iacet tellus magnis circumdata ripis
Parthis et ab Parthis domitae per saecula gentes",

at Cappadoces, quorum regnum clarissimus ille dux crebris factis seditionibus in provinciae formam redigere coactus est, non leviter obiurgavit ibidem versu 760:

„Nemeaee potiris .. regno feroci Cappadocum".

Quibus cunctis animadversis, neminem alium nisi Caesarem Germanicum a Manilio laudibus affici ego quidem non is sum, qui sat probabile esse negem. Haec res, si quidem Germanicum a Libra genitum esse antea recte[8]) statuimus, videtur mehercle prope manifesta.

Inde etiam extemplo poeta amicus Germanicus fuisse probatur; nam: meus, inquit, Caesar condidit orbem. Idemque versus indicio est haberi illum in ducis comitibus, quandoquidem nunc particula, forma verbi, quod est frenare, ad praesens tempus spectans, denique omnis versuum sonus proxime Germanicum illum adesse significant. De ipso igitur valuere, quae scripsit inde a versu IV, 622:

„Miratur populos Asiae totidemque tropaea,
Quot loca, et innumeras gentes Taurumque minantem
Fluctibus et Cilicum populos Syriamque perustam."

---

[8]) Commodum erit de mensium appellatione ex nominibus imperatorum ducta etiam ea conferre, quae tradidit Cassius Dio 44, 5 de Caesare 57, 18 de Tiberio 67, 4 de Domitiano 60, 5 περὶ γενεσίων et Suetonius in vita Dom. c. 13. 1, ac de Germanico Claud. c. 11.

Quod si argumentum versuum eorum, in quos modo inquisivi, verum detectum est, exstante „nunc“ particula sine maiore opera perspicitur inter laudem Germanici Astronomicis insertam et foedus cum Parthis ictum haud ita multos dies interfuisse. Oportet igitur nos sic colligere, ut quartum carminis librum incohatum circa initium anni 772 esse dicamus. Confectum autem esse verisimile videtur eum prius quam Germanicus in Aegyptum antiquitatum noscendarum causa abiit. Neque enim mea quidem sententia iam insidias Tiberio eiusque matre auctoribus per Pisonem Plancinamque Germanico paratas cognoverat eo tempore, quo in principis laudem — quod omnibus fere probasse me confido — apotelesmata Scorpii sive Sagittarii carmini interposuit. (Cfr. p. 36. 89.)

Hoc invento si quidem librum I sub finem anni 770 — fortasse et ipsum in itinere, Germanico tum in Illyrico morante — compositum esse recte demonstravi, simplici ratione eo pervenimus, ut libros II et III anno 771 literis consignatos esse ponamus. — Qua ipsa de causa nullam vides culpam nos commisisse, quod quae esset illorum aetas perscrutaturi et ad oraculum Clarii Apollinis et ad Rhodum insulam quasi confugimus.

Quamquam quid loquor? In quo versu cardinem argumentationis nostrae versari dixi, nonne is et a Molinio ac Scaligero prorsus mutatus et a Bentleio atque ipso Jacobo, qui perversissimas res vel tueri artificio soleat, tanquam subditicius e carmine eiectus est? Cur hoc religioni non habeo? Metusne est nullus, ne non vigilanti mente vera viderim, sed inter lucubrandum somniaverim?

Quod quotienscunque ipse ex me quaerebam, nulla ratione sententiam meam abicere cogebar. Non enim ulla ex parte versus ille in suspicionem falsae fidei venit. In omnibus codicibus integerrimus traditur. Non est, quod miremur poetam, dum de terrarum patrociniis agit, repente ad hominem laudandum deflexisse: hoc nimirum non secus Manilium decet atque quod Librae partum praeter ceteros felicem esse praedicat; huc abripitur maximo Caesaris amore. Neque „que“ particula tertio

demum enunciationis verbo suffixa cuiquam generis dicendi Maniliani gnaro suspecta esse potest, quoniam et in libro V diligentissime, ut Jacobus praef. p. XVI iudicat, composito „que“ scriptum est pro „etiam“, velut (rursus non sine stomacho Bentlei cui obstitit ille in progr. Lub. p. 15. Ind. p. 218):

V, 327: Qua quondam sonitumque ferens Oeagrius Orpheus,

eadem ratione, qua apud alios „nec“ pro „ne — quidem“ habetur. An in verbo „orbis“ ter repetito haeres? Tali simplicitate poeta saepe Lucretium imitatur. Legis enim I, 256. 257: ordinibus — ordine; I, 288. 290: in ipsum; I, 149. 152. 157: auras; IV, 890. 892: gubernat — gubernet aliasque alia id genus. — Denique perturbaturne illo versu sententiarum concordia? Immo duo terrarum orbes eo servato egregie inter se opponuntur. Quid ergo — ne multus sim — eum ut Manilio indignum ad inferos ut mittamus nobis suadet? Nihil prorsus in conspectum nobis venit. Itaque homines doctos si vel maximam esse illius versus vim divinassent, opinor omnes omni ope atque opera enisuros fuisse, ut eum integrum in Astronomicon volumine servarent. Iam stat stantque omnia, quae urgente sanae mentis iudicio inde efficiuntur. — Certe Jacobi impetum (praef. p. V), quo nullus aut imprudentior aut invalidior est, facillime sustinent. „Ab ipso Sylvestro (scilicet: pontifice maximo, qui Manilii Astronomica ab amico petivit) venire, inquit ille, versus suppositos interdum suspicari soleo ex libri IV vs. 776:

„Qua genitus Caesarque meus nunc condidit orbem“.

Refero enim ad Ottonem III, quamquam me ignorare (!) profiteor, an is sub Libra natus sit“. Quam causam addens editor ille Astronomicon hastam in se ipsum collineat nobisque ostendit de se ipso valere verba, quibus librariorum menda a criticis defendit: „Nostris etiam temporibus non ab interpolatoribus multa et fiunt et scribuntur absurda“ (Praef. p. XVII).

Iam in modum Jacobi alucinari si per leges huius dissertationis liceret, spectata aliunde Germanici et Manilii necessitudine, quamvis ignarus dierum natalium, aliorum hominum sortes praefecto Orientis sive commodas sive noxias in Astro-

nomicon libris et quarto quintoque perscriptas et secundo inde a versu 466 usque ad 642 perstrictas ostendere poteram. Inprimis cerneres Cn. Pisonem, quem Piscium tutela usum fuisse e quadam nominum similitudine animo fingerem. Quod enim de partubus huius sideris affiniumve poeta edidit:

II, 637: At quibus in lucem Pisces venientibus adsunt,
His non una manet semper sententia cordi,
Commutant animos, interdum et foedera rumpunt
Ac repetunt, tectaeque lues sub fronte vagantur.
V, 647: Engonasin — dextra per extremos attollit lumina Pisces:
Hinc fuga nascentum: dolus insidiaeque creantur
Grassatorque venit mediam metuendus in urbem,
In praerupta dabit studium, vendetque periclo
Ingenium . . ."

haec omnia mehercle perbene congruunt cum iis verbis, quae in vitam infestissimi illius perniciosissimique Germanico hominis narrandam Tacitus consumpsit, quae tamen apponere huic quidem loco longum est. Ipse confer quaeso Ann. I, 75; II, 43. 57; III, 13. 14. 16. Neque ab illo Tiberii satellite abesset Plancina uxor, quae principis matri ad privignum e medio tollendum operam dicavit. Hanc enim et ipsam ortam fuisse Piscibus coniceres, quia inde a IV, 573 insigniter ad eam conveniunt Manilii verba:

„Ne velit in primos animus procedere Pisces:
Garrulitas odiosa datur linguaeque venenum
Verba maligna novas mutantis semper ad auris,
Crimina per populum populi ferre ore bilingui.
Nulla fides inerit natis, sed summa libido.
Ardentem medios animum libet ire per ignes
Nec solus fuerit geminus sub Piscibus ortus:
Frater erit dulcisque soror materve duorum."

Quod ita esse cognosces ex Ann. II, 43. 55. 75; III, 9. 15. 17; VI, 26. — Verum tamen procul sit a me crimen temeritatis sive commenti! praesertim quod inde nostrae quaestioni iam ne minima quidem utilitas evenit.

Subeo igitur extemplo ultimum sententiarum mearum periculum. Si profecto accidere, quaecunque accidisse proposui, carmine, cum Germanicus moriebatur, nondum ad finem per-

ducto suo fortasse iure ii, quibus illa persuadeam, postulant' ut Manilium de exitio quoque amici aliquid quamvis furtim inseruisse ostendam. Neque equidem deesse video eam querellam, quam ad tristissimam illam rem referendam esse existimem· Exclamantem enim audio poetam, quae exstant in libro II inde a versu 596:

„Quid loquar eversas urbes et prodita templa
Et varias pacis clades et mixta venena
Insidiasque fori caedesque in moenibus ipsis
Et sub amicitiae grassantem nomine turbam"?

Pacis sane cladem civitas Romana accepit[9]), cum in Urbem allatum est Germanicum in Syria lento morbo esse abreptum; nemo e gente Julia memoriae proditus est, cuius de morte dolor luctusque omnium bonorum maior fuerit. Desiderabant enim, in quo uno, saeviente magis magisque Tiberio, spem salutis collocassent. Mox ad gemitus accessit ira rumoribus pervulgatis de fraude principis et de Pisonis ministerio: hunc a Livia Augusta eiusque filio per Plancinam fuisse adductum, ut Germanici decreta rescinderet eique quam plurimum stomachum moveret, atque progressum ad tantam audaciam, ut adiuvante uxore Caesarem in extremas terras remotum et beneficiis devotionibusque impugnaret et aegrum immodicis verborum et rerum acerbitatibus afficeret[10]). Nec defuit fama de veneno. Denique Pisonem et Plancinam alacri animo Romam reversos atque Martinam, quae illo tempore in Syria veneficae turpissimae fama florebat, grassantem haud dubie[11]) sub amicitiae nomine turbam, totiens tamque vehementer insimulavere, ut Tiberius in iudicium capitis arcessere cogeretur. Tum instruxere accusationem proximi Germanici amici, quorum in numero Manilium fuisse probavi, atque effecere, ut omnes quamvis principe invito causa caderent[12]).

Atque has ad res relata esse volo verba, quae antea ex Astronomicis attuli. Quidni enim caute significasse putandus

9) Tac. Ann. III, 4. 10) Suet. Cal. c. 2. 11) Suet. Calig. 3 extr.
12) Ann. III, 13. 14.

nomicon libris et quarto quintoque perscriptas et secundo inde a versu 466 usque ad 642 perstrictas ostendere poteram. Inprimis cerneres Cn. Pisonem, quem Piscium tutela usum fuisse e quadam nominum similitudine animo fingerem. Quod enim de partubus huius sideris affiniumve poeta edidit:

II, 637: At quibus in lucem Pisces venientibus adsunt,
His non una manet semper sententia cordi,
Commutant animos, interdum et foedera rumpunt
Ac repetunt, tectaeque lues sub fronte vagantur.
V, 647: Engonasin — dextra per extremos attollit lumina Pisces:
Hinc fuga nascentum: dolus insidiaeque creantur
Grassatorque venit mediam metuendus in urbem,
In praerupta dabit studium, vendetque periclo
Ingenium . . ."

haec omnia mehercle perbene congruunt cum iis verbis, quae in vitam infestissimi illius perniciosissimique Germanico hominis narrandam Tacitus consumpsit, quae tamen apponere huic quidem loco longum est. Ipse confer quaeso Ann. I, 75; II, 43. 57; III, 13. 14. 16. Neque ab illo Tiberii satellite abesset Plancina uxor, quae principis matri ad privignum e medio tollendum operam dicavit. Hanc enim et ipsam ortam fuisse Piscibus coniceres, quia inde a IV, 573 insigniter ad eam conveniunt Manilii verba:

„Ne velit in primos animus procedere Pisces:
Garrulitas odiosa datur linguaeque venenum
Verba maligna novas mutantis semper ad auris,
Crimina per populum populi ferre ore bilingui.
Nulla fides inerit natis, sed summa libido.
Ardentem medios animum libet ire per ignes
Nec solus fuerit geminus sub Piscibus ortus:
Frater erit dulcisque soror materve duorum."

Quod ita esse cognosces ex Ann. II, 43. 55. 75; III, 9. 15. 17; VI, 26. — Verum tamen procul sit a me crimen temeritatis sive commenti! praesertim quod inde nostrae quaestioni iam ne minima quidem utilitas evenit.

Subeo igitur extemplo ultimum sententiarum mearum periculum. Si profecto accidere, quaecunque accidisse proposui, carmine, cum Germanicus moriebatur, nondum ad finem per-

ducto suo fortasse iure ii, quibus illa persuadeam, postulant' ut Manilium de exitio quoque amici aliquid quamvis furtim inseruisse ostendam. Neque equidem deesse video eam querellam, quam ad tristissimam illam rem referendam esse existimem· Exclamantem enim audio poetam, quae exstant in libro II inde a versu 596:

„Quid loquar eversas urbes et prodita templa
Et varias pacis clades et mixta venena
Insidiasque fori caedesque in moenibus ipsis
Et sub amicitiae grassantem nomine turbam"?

Pacis sane cladem civitas Romana accepit[9]), cum in Urbem allatum est Germanicum in Syria lento morbo esse abreptum; nemo e gente Julia memoriae proditus est, cuius de morte dolor luctusque omnium bonorum maior fuerit. Desiderabant enim, in quo uno, saeviente magis magisque Tiberio, spem salutis collocassent. Mox ad gemitus accessit ira rumoribus pervulgatis de fraude principis et de Pisonis ministerio: hunc a Livia Augusta eiusque filio per Plancinam fuisse adductum, ut Germanici decreta rescinderet eique quam plurimum stomachum moveret, atque progressum ad tantam audaciam, ut adiuvante uxore Caesarem in extremas terras remotum et beneficiis devotionibusque impugnaret et aegrum immodicis verborum et rerum acerbitatibus afficeret[10]). Nec defuit fama de veneno. Denique Pisonem et Plancinam alacri animo Romam reversos atque Martinam, quae illo tempore in Syria veneficae turpissimae fama florebat, grassantem haud dubie[11]) sub amicitiae nomine turbam, totiens tamque vehementer insimulavere, ut Tiberius in iudicium capitis arcessere cogeretur. Tum instruxere accusationem proximi Germanici amici, quorum in numero Manilium fuisse probavi, atque effecere, ut omnes quamvis principe invito causa caderent[12]).

Atque has ad res relata esse volo verba, quae antea ex Astronomicis attuli. Quidni enim caute significasse putandus

---

9) Tac. Ann. III, 4. 10) Suet. Cal. c. 2. 11) Suet. Calig. 3 extr. 12) Ann. III, 13. 14.

est Manilius, quem ad modum Tiberius tum occultus ac fingendis virtutibus subdolus[13]) adversarios interimere consuesset?

Contra haec alius dixerit nos nobiscum ipsos pugnare, cum illic anno 771 hic multo post librum II compositum esse statuamus. Ea sententiarum discordia celerius opinione tollitur. Est enim, ut opinor, statuendum eam libri II partem, in qua querellam de morte Germanici invenisse mihi videor, tum demum esse insertam, cum turpissimae illae insidiae vitae illius intentae in ore omnium fuere. Ac primum quidem tentantibus nobis singula libri II membra, excepto prooemio, tam arida tamque ieiuna plerumque sentiuntur, ut paene sordeant Unum vero, quod constat versibus 581—607, quandam suppeditat nobis voluptatem ac depellit taedium e ceteris natum. Ex improviso enim profluunt, ubi de sideribus inter se inimicis agitur:

„Idcirco nihil ex semet natura creavit
Pectore amicitiae maius nec rarius usquam“;

in partes vocantur Orestes et Pylades aliique, qui familiaritate ac necessitudine clarissimi omnium sunt; conqueritur poeta:

„Perque tot aetates hominum, tot tempora et annos
Tot bella et varios etiam sub pace labores
Quum fortuna fidem quaerat, vix invenit usquam.
At quanta est scelerum moles per saecula cuncta
Quamque onus invidiae non excusabile terris
Venales ad fata patres . . .“

Talia parum concinunt cum tenuissima oratione, quae in superioribus atque haud ita multo post sequentibus versibus conspicua est, atque in primo libro aeternam pacem celebrari iamque in secundo eandem totum per mundum sublatam deplorari admiramur. Quin rhetorum praecepta, ut puto, negleguntur, has sententias si quis conectit: „Noli admirari, si tot modis totiens inimica creantur“ et „Idcirco nihil est maius amicitia vel rarius“. Bene autem ad priorem sententiam accommodatur versus 608, qui est:

„Si tamen et cognata cupis dignoscere signa“.

---

[13]) Tac. Ann. VI, 51. Cfr. Astr. II, 635. p. 88 h. d.

Adde quod eiecta de sublata fide lamentatione minus turbatur aequalitas partium, quae sunt de configurationibus et hostilium et amicorum signorum (II, 520—607; II, 608—643). Et facile tibi persuadebis iam confectis ceteris libri II partibus viginti septem illos versus, qui sunt de amicitia ac fide, a poeta esse adscriptos. — Deinde hoc factum esse anno 773 ut dicamus, suadent ii versus, qui v. 599 sequuntur:

„In populo scelus est et abundant cuncta furoris
Et fas atque nefas mixtum, legesque per ipsas
Saevit nequities, poenas iam noxia vincit.
Scilicet in multis quoniam discordia signis
Corpora nascuntur, pax est sublata per orbem
Et fidei rarum foedus paucisque tributum.
Utque sibi caelum, sic tellus dissidet ipsa
Atque hominum gentes inimica sorte feruntur".

Illo enim, ut hoc ad priora adiciam, anno Lepida quaedam veneficii accusata est; ac saeviebat profecto leges per ipsas nequities, cuius rei testis locupletissimus Tacitus est. Non sine invidiola de vetustissimis mortalium, qui omnia sine legibus gessissent, memoria redintegrata: „Multitudo, inquit[14]), periclitantium gliscebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur, utque antehac flagitiis ita tunc (scil. anno 773) legibus laborabatur. Tum delatores altius penetrabant, praemio inducti, urbemque et Italiam et, quod usquam civium, corripuerant: multorumque excisi status et terror omnibus intentabatur."

Porro quid melius illustrat illud: „poenas iam noxia vincit", quam lex Papia Poppaea, quam ab Augusto incitandis caelibum poenis et augendo aerario sancitam esse idem scriptor ad annum 773 enarrat? Unde graviora sane detrimenta constitutis custodibus civitati tum illata sunt, quam commoda aerario publico. Accedit, quod tum delationes de laesa maiestate laesisque religionibus in consuetudinem venere. Item rebus a. 773 gestis probatur, quod postremum Manilius posuit:

---

14) Tac. Ann. III, 25; cfr. ibid. I, 73.

„**P a x e s t s u b l a t a** per orbem
Et fidei rarum foedus paucisque tributum . . .
Atque hominum gentes inimica sorte feruntur“.

Rata enim[15]) haec fecere Maroboduus et Catualda in Germania, Rhescuporis in Thracia, Vonones apud Parthos Tacfarinas in Africa, et si qui alii tum male sibi fidem promissam servavere.

Quae cum ita sint, satis certum videtur Manilium etiam de morte Germanici a. U. 773, quidquid tum sub oculis suspiciosi principis poterat, Astronomicis inseruisse.

Sed haec quidem hactenus de Germanici et Manilii societate, quam fuisse dum probavimus, nobis contigit, ut, quae esset Astronomicon aetas, accuratius quam ante cognosceremus.

Restat, ut ob eam ipsam necessitudinem, quae Manilio cum Germanico intercessisse videtur, aegre me ferre confitear, quod supra identidem totum carmen ab illo ad Tiberium missum esse dixi, atque primum tantum eius operis librum eodem fere tempore, quo huic principi filius innoxio nec suspicioso animo Aratea dedicavit, eidem destinatum esse statuam. Nam quisquis Germanici amore flagravit, Pisone huic duci loco custodis ad spes coercendas adiuncto iam Tiberio studere non potuit. Quid? quod Manilius ipse huic iudicio non repugnat. Iam in secundo Astronomicon[16]) principem ita carpit, ut de Scorpii effectibus haec in medium proferat (II, 633—636):

„Scorpius et Cancer fraterna in nomina ducunt
Ex semet genitos; nec non et Piscibus orti
Concordant illis. Saepe est et **s u b d o l u s** actus:
Scorpius aspergit noxas sub nomine amici“,

deinde in tertio eundem plane neglegit, cum absente Romae principe ad omnes astrologiae studiosos cogitationes dirigat his versibus III, 36. 37:

---

[15]) Tac. Ann. II, 63; III, 20. [16]) Interdum etiam suspicor quaecunque in hoc libro Tiberio in malam partem accipienda fuere, ea a Manilio post mortem Germanici interposita esse. — Certe hic liber prae ceteris dignus mihi videtur, qui quem ad modum compositus sit, seorsum quaeratur.

„Huc ades, o quicunque meis advertere coeptis
Aurem oculosque potes, veras et percipe voces",

tum in quarto, ubi de Scorpii apotelesmate pauca disserit, eas tantum res laudat, quae a Tiberio animo quondam melius affecto gestae fuere; denique in quinto, nisi forte Arcturum mihi nimis lubricum (p. 35) retinuisti, nihil prorsus gloriae aut ignominiae ei paratur. Itaque Manilius non secus atque alii Tiberianae aetatis scriptores probat taciturnitatem tum summam hominis honesti fuisse virtutem.

Quibus nescio an aliquotiens latius aequo expositis licet sane finem facere disputandi ita, ut quaecunque quaestione nostra assecuti sumus, ea in angustum cogamus.

Primum igitur demonstravimus nullum toto Astronomicon corpore exstare versum, qui Augustum scribente poeta inter vivos versari indicio sit; — deinde probavimus carminis primum quidem librum Tiberio iam principi fuisse destinatum; — tum arcessitis ad auxilium Ovidio et Germanico statuimus posterius quam illum Fastos, simul autem cum hoc poeta Manilium sidera cecinisse; — hinc coniectura mera eo ducti sumus, ut eum, quem Manilium vocare consuevimus, inter socios Germanici fuisse suspicaremur; — denique mediis quoque in Astronomicis vestigia poetae illo duce Orientem peragrantis, ut opinor, sat certa propeque manifesta (p. 81) deprehendimus.

Quae cuncta si quidem per se stant neque summas quidem per partes inde vacillare videntur, quod in Libra tamquam Germanici genetrice vertuntur, sufficiente profecto argumentorum copia de Astronomicon aetate sic iudicare per leges rationis licet, ut censeamus compositum esse librum

I sive Romae sive in Illyria a. U. c. 770 fortasse exeunte,
II maiore ex parte (p. 88) et
III per a. 771 in Asia,
IV circa initium anni 772 ibidem,
V non ante annum 775 sive haud ita multo post.

Confecta autem vel potius (Jac. praef. p. XVII) imperfecta relicta quando Astronomica essent, nobis non contigit, ut certis indiciis demonstraremus. Nam etiamnunc anquirimus eum, quem primum Tiberianae aetatis tota Astronomica non modo cognovisse verum etiam in suis operibus respexisse arguamus. Neque ante quam ille prosperiore acie deprehendatur, quaestio, quae est de illius carminis aetate, nullo pacto absoluta existimanda est.

Itaque nos et ipsi opus alacri animo susceptum quadam parte imperfectum relinquimus. Scilicet non omnia possumus omnes; verum tamen, ut spero, aliquando ratio omnia vincet; nam horum studiorum socius socium, opera operam, dies denique diem docebit, et quidquid in dissertatione nostra adhuc desideratur, afferre in medium studebit.

Utinam sit magnum operae laborisque pretium, reiectis Scaligeri Bentlei Merkelii aliorum sententiis id, quod ante hos LXV annos Lachmannus, vir clarissimus, acerrimis oculis iudicioque subtilissimo adiutus iam luculenter perspexerat perspectumque audacter publici iuris fecerat, oblivione obrutum e pulvere deprompsisse, clariore, si placet, luce illustrasse, novis adminiculis ab interitu defendisse! Utinam denique aliquid commodi ex his quaestionibus redeat ad criticam literarum Romanarum historiam!

Vita.

Gustavus Bertholdus Freier natus sum Coritteni in pago Neomarchico apud Sternbergos sito a. h. s. LIV, d. X m. Nov., patre Guilelmo matre Augusta e gente Ulrica, quam praematura mihi morte ademptam esse doleo. Parentes me puerum fide imbuerunt evangelica. Prima literarum elementa et a patre, qui etiamnunc in patria ludi magistri munere fungitur, et a duobus ministerii divini antistitibus didici, deinde Berolini inter alumnos gymnasii Joachimici anno LXIX exeunte receptus celeberrimam illam scholam frequentavi per novies VI menses. Quibus peractis morbo periculoso depulso maturitatis testimonium adeptus in universitatem Fridericam Guilelmam transii, cuius inter cives, nomen apud amplissimum philosophorum ordinem professus, quatuor per annos versatus sum. Id tempus rebus philologicis ac philosophicis impendens me applicavi ad Curtium Droysenum Huebnerum Kiepertum A. Kirchhoffium Mommsenum Muellenhoffium Paulsenum Steinthalium Vahlenum Wattenbachium Wilamovicium Zellerum alios, quibus ex praeceptoribus spectatissimis Huebnerus domi quoque in societate philologica arte sua me instruxit, Kirchhoffius Vahlenusque duos per annos seminarii regii philologici sodalem ordinarium me esse permisere. His quos modo dixi tribus viris de me meritissimis gratiam semper habebo quam maximam ac ne ceterorum quidem, quorum doctrina eruditus sum, unquam memoria in gratissimo meo animo interibit. Academia a. LXXVIII relicta cum in privatis studiis me continuissem, nuperrime rigorosum pro facultate docendi examen sustinui iamque in eo est, ut aptum me esse ad munera in scholis publicis suscipienda probem.

Berolini typis expressit Th. Haberlandt.